



f 1000.

non posseduto

STIMVLVS PASTORVM

Ex ſententijs Patrum concinnatus, in quo agitur de vita & moribus epiſcoporum, aliorumq; prælatorum,

PER REVERENDISS. D.D. BARTHOlomæum a martyribus archiepiſcopum Bracharenſem, & Hiſpaniæ primatem.



ROMAE, apud Hæredes Iulij Accolti. M. D. LXXII.

ex dono nob. D: Jacobi Stephanucij 1692

GREGORIVS PAPA XIII.


OTV proprio &c. Cum fuerit quidam liber, qui stimulus pastorum inscribitur, a Bartholomæo a martyribus Archiepiscopo Bracharensi æditus, nũc rursus hic Romæ ab hæredibus Iulij Accolti maxima cum diligentia, & R.P.D. Alexandri Frumẽti, necnon R. Fatris Vincentij Cipriani sacræ Theologiæ professoris, ac promagistri sacri Palatij licẽtia impressus, & ab omnibus erroribus expurgatus; Nos attendentes complures codices, dum passim imprimuntur, hæreticorum, impressorumq; uitio, nonnullis interdum erroribus repleri, ac labefactari, quodq; in hoc opere ne cõtingat prouidere, eorumq; labori, qui librum hunc imprimendum curarunt, cõsulere uolentes; Motu simili, & ex certa nostra sciẽtia, ne prædictus liber a quoquam, cuiusuis conditionis, ac preeminentiæ existente, spatio trium annorum iterum imprimi possit, mandamus, atq; decernimus, & sub excõmunicationis latæ sententiæ pœna inhibemus. Et quia difficile foret huius nostri motus proprij originale ad qualibet loca deferri, uolumus, & eadem auctoritate decernimus, quòd transumptis, uel exemplis ipsius, etiam in ipso libro impressis plena, & eadem prorsus fides adhibeatur, & ubiq; fidem faciat, ac si præsens originale exhiberetur, & quòd præsentis nostri motus proprij sola signatura sufficiat, ac sine registratura, & cancellariæ regulis, contrarijs in aliquo non obstantibus.

Datum Romæ apud sanctum Petrum quintodecimo Kalendas Decembris Anno Primo.

AD CAROLVM BORROMÆVM.

Illuſtriſſimum & Reuerendiſſimum Cardinalem.

F. Franciſci Coltæ a Caſtilione in Bracharenſis antiſtitis librum de moribus pontificum præfatio.

NON ignoro (venerande & colende antiſtes) quin tibi, ceteriſq; omnibus, qui alijs quidem hominibus, vt eorum animis ſalutem ferãt, præpoſiti ſunt, quæcumq; ſcripta ſunt in eo libello, quem Bartholomæus a martyribus, de vita & moribus pontificum compoſuit, vehementer grata, periocundaq; ſint: iccirco cum pauci admodum inueniantur, qui eum nunc habeant, plurimi verò qui eum non ſolum deſiderent, ſed etiam petant, & flagitent, operæpretium facturum me eſſe putaui, ſi eum nunc ite-

rum edi, ac in manus hominum tradi curarem, & quibus etiam in locis, selectæ multorum doctorum sententiæ explicatæ essent, & diligenter quærerem, & hic suis quasque in locis notarem, atq; etiam ea, quæ prius corrupta, ac deprauata erant corrigerem. Vt autem hæc, quæ hic traduntur diligentius legi, admirandumque eorum artificium intelligi, facilius possit, ab initio hæc pauca explicanda erũt. Nam, cum soliti sint tam græci, quàm latini scriptores non nulla ante aperire, quàm eorũ legendus sit liber, eadem etiam ipsi, quàm breuissime explicantes, ad quas vtique res, perutilis sit is liber a principio dicamus, maximeq; cum eloquentiæ princeps scriptum reliquerit, statim aliqua proposita vtilitas, exuscitat omnium animos, & maiores ad rem gerendam facit. Cõstat itaq; si hac in re vtilitas quæratur, vtilem eum esse, ad pontifices quosque, tum excitandos, tum etiam erudiendos, qua sanè ratione, ceteros homines suæ fidei, ac sapientiæ commissos creditosq; valeant, tam iustos, quàm beatos efficere. Sed hominũ generi quid obsecro, quàm

Offic. lib. 1.

Ad quæ sit utilis liber.

iuſtitia, & felicitas, aut beata eorum vita magis expedit, quidue vtilius excogitari vmquam potuit? Iis etiam, qui populo præſunt, mirabilem afferri vtilitatem, omnes facile intelligent, qui omnia hic tradita eſſe, quæ ad eorum pertinent officium animaduerterint. quo enim pacto huius generis homines, aut ſuæ famæ conſulere, aut ſuæ ſalutis rationem habere, aut eorum, qui ſibi crediti ſunt, vtilitati ſalutiq; ſeruire valent, niſi magnum hoc munus, quod inquam eſt de gubernandis ſeruandiſq; hominibus exequantur? Sua verò officia, ac ſtudia, quomodo, ſi quæ ſint ignorent, exequi poſſunt? Mirabilis itaq; vtilitatis fructum hunc ſanctiſſimum virũ, cuiq; præbere compertum eſt. Deinde huius operis auctorem (vt libenter hæc omnia, ſi ab homine diuinitus dato tradita ſint, complectamur, eaq; teneamus) non niſi honeſtiſſimum, atq; optimum virum eſſe conſtat, qui cum ſemper fuerit, (vt omnes ſciunt) innocentiæ, temperantiæ, iuſtitiæ, ceterarũq; virtutum exemplum, cumq; (ex omnium animi ſententia) omni doctrina, & virtute ornatiſſimus eſſet

Auctoris nomen.

(quippe qui iam annos multos in sacrarũ rerum studijs versatus erat) Bracharensis factus est pontifex, & qui prius inter eos, qui diui Dominici institutionem prosequũtur, quodammodo latebat, in eam celsissimam dignitatis sedem ascẽdere iussus est. Vnde fit, vt quẽadmodum sol, quanto magis per se splendet, tanto etiam magis res ceteras illustrare, suo splendore valeat, ita hunc sanctissimum virum, in amplissimo dignitatis gradu locatum, omniq; virtute, atque doctrina ornatum, ceteros quoque ornare, doctrinisq; erudire, atq; etiam eos, cupiditate, ea omnia faciendi, quæ ad homines optime gubernandos pertinent, incitare, vel maxime posse confidimus. Rursus earum rerum, de quibus hic agitur diuisio, duas in partes distribuitur: & priore quidem, non nullæ sanctissimorum virorum, selectæ exquisitæq; sententiæ explicantur: posteriore verò conformantur mores, tum optimi, tum temperati, quibus fingantur, ac veluti quibusdam præceptis, qui alijs præsident imbuantur. Præterea id fuit causæ, quare is liber, pastorũ stimulus inscriberetur, propterea-

Diuisio.

Libri inscriptio.

(vt

(vt ego arbitror) eos omnes, qui alijs præsunt, quasi aculeis pungit, ac stimulos eis admouet, vt omni qua possint diligentia, celeritate, industria, ac omnibus denique tam corporis, quàm animi viribus, subiectos sibi homines iuuent, tueantur, conseruent. Sed pastorum nomine, non solũ quos ἐπισκόπους habemus, sed etiam ij, qui in summorum antistitum collegium cooptantur, qui que cardinales nõn immerito vocantur, intelligendi sunt. hos enim (vt hac de re patres, amplissima decreta fecerunt) omni virtute, ac doctrina, nec minus quàm episcopos exornatos esse oportet. Et licet hoc pastorum vocabulo veteres latini non vtantur, ab eo tamen adhorrere nos minime debemus: quòd etiam IESVS, cum totum hominum genus, non alij quam Petro, qui eius vicarius futurus erat (vt modo est Gregorius xiij. pont. max.) committere instituisset, ijs vtique vsus est verbis, Pasce oues meas, pasce agnos meos, vt ijs sane verbis, cuique hominũ intelligi daretur, vt quemadmodum pastores, si præclari ouium custodes esse debeant, quæcumque ad earum

Synod. Trident. sess. 24. De Reforma. cap. 1.

Iohan. vlt.

 per-

pertinent salutem, ipsimet præsentes videre consueuerunt, sic etiam eos (nullis quidem exceptis) quicumq; alijs præsident hominibus, coram adesse, & cum eis præsentes agere (vt ego sentio) necesse est. hoc verò ab eodem Iesu, tam Petro, quam ceteris omnibus præceptũ esse (vt etiã hac de re patres nostri, cũ Tridẽti iam essent decreuisse videntur) non dubito.

Synod. Trident. sess. 23. De Reformatione. cap. 1.

Materia circa quã versatur.

Quæ sit deniq; materia, quam huic suo artificio, is auctor supposuit, si breuiter demonstrari debeat, nullam certe aliam, nisi optimum pontificem dicimus esse: qua in re omnem auctoris artem, omnemq; facultatem versari perspicimus. vt enim Xenophon imperatorẽ, aut Cyrum, ad iusti imperij effigiem scripsit, optimã verò Remp. Plato, & M. Cicero plenum perfectumq; oratorem, sic huius operis auctor, optimũ descripsit pontificẽ. sed illa tria, vt ab illis descripta fuerunt, licet in rerũ natura, aut in hominũ genere inueniri, raro vel numquam possint, optimus tamen pontifex, vt hic describitur, sæpissime. Deus enim ipse pontifices quosq;, vt aliorum custodes, ac præsides (vt sanè labentibus hominibus

nibus præsidium ferrent) constituit, ac designauit, & hãc ob causam, eis plurimũ fauere, eorũq; adiutor esse voluit. Quo fit, vt eius ope, & auxilio, nõ nulli inueniãtur põtifices, qui omni virtute, doctrina, summoq; splendore præditi, hũc eundem, qui modo designatus est põtifex, repræsentẽt. sed cum te ipsum in eorum numerum, dei immortalis ope (cui debet quisq; acceptam virtutẽ referre) iam peruenisse crediderint ij, quorum planè erat, librum hunc, cuius vellent titulo cohonestare, id mihi committendum putarũt, (maximeq; cum nemini adhuc missus, cõmendatusq; fuerit) vt ego nõ alij, quàm tibi, eum mittendum commendandumq; curarem: vt sanè quæcumq; de optimo pontifice, hic tradita essent (quæ nimirum ad omnem eius designationem requiruntur) ea quidem omnia, in aliquo (iuuante deo) inueniri, & repræsentari perspicerẽt. Vale. Romæ M. D. LXXII.

Pars prior.

Pars posterior.

Adiecta est in fine Concio R. P. F. Ludouici Granatensis habita in consecratione Reuerendiss. D.D. Antonij Pinarij episcopi Mirandensis.

Finis Tabulæ.

Errata in opere.


Pagina. facie. linea.
Pag.10.facie.a.lin. 29. Igit lege igitur.
20.a. 27. Apostolis lege Apostolus.
22.a. 19.reculis lege regulis.
49.b. 11. explicar. leg.explicat.
61. b. 4. aliis leg. alliis.
63.b.17.tristia leg.tristitia.
69.a.4.presecutores leg. per secutores.
69.a.2.preseuerabat. leg. perseuerabat.
10.b. 22.suberbia leg.superbia.
82.a.11. corruptioni leg.corruptionis.
83.a.24.mansuetis leg. mansuetus.
87.b.17.clasum leg.clausum.
95.a.4.solito leg. solicito.

In Concione.

25.b.10.instrar leg.instar.
12.b.25.diligendo leg. deligendo.
34.a.4.parabiso leg. paradiso.
34.b.3.quod dam leg. quodam.
67.b.23. dilectioue leg. dilectione.
68.b.24. salurem leg. salutem

SELECTA EX DIVO Gregorio in Pastorali.

§ *Parte prima.*



ERTRAHI ad Episcopatum est pertrahi ad ducatum populorum, ad exemplar viuendi, ad normam irreprehensibilem Euangelicæ vitę: (iuxta illud, Oportet Episcopum irreprehensibilem esse) ad portandum onera aliena. O stultum, qui cum ad casum vrgeatur ex oneribus proprijs, humeros libenter submittit opprimendus alienis. *cap.* 1. & 10. 1. *Tim.* 3.

§ Contra pastores aliud agentes, aliud docentes, Oseæ 8. Ipsi regnauerunt, & non ex me: Principes extiterunt, & ego ignoraui. Et Hyerem. 2. Tenentes legem nescierunt me, & pastores præuaricati sunt in me. Et Ezech. 34. Cum ipsi purissimam aquam biberetis, reliquam pedibus vestris conculcabatis ac turbabatis: & quam pedes vestri turbauerant, bibebant oues: quia puram sapientiam quam ex scripturis hauserant, vita corrumpunt: atq; hoc modo aquam scripturæ turbidam ouibus propinant. *Idē Greg. c.* 1. *Greg.* 2.

§ Nemo se imaginibus cogitationum magna facturum proponentibus illudat: sed ex an- *Greg. c.* 9.

te acta vita ſe iudicet, quid ī Epiſcopatu acturus eſt. Quomodo enim in culmine poſitus, diſcere poterit humilitatem, qui in imis non deſinit ſuperbire? Quomodo auaritiam ſuperare poterit deputatus ad ſuſtentationem multorum, qui ante propria tenaciter ſeruabat? Nam quid eſt officium paſtorale, niſi quædam iugis ac perpetua mentis tempeſtas, fluctibus curarum & cogitationum ſemper feruens? Qui ergo mentis nauiculam dum in tranquillo nauigabat, dirigere vix poterat, quomodo in medio procellarum ſeruabit illæſam? Vnde cum cogitationum procellis nauis cordis ſemper quatitur, atq; inceſſanter huc & illuc impellitur, accidit, vt per repentinos exceſſus oris & operis, quaſi per obuiantia ſaxa frāgatur. Et infra. Inter hæc itaq; quid ſequendū eſt, quid tenendum, niſi vt virtutibus pollens coactus ad regimen veniat: virtutibus vacuus nec coactus accedat. Ille ſi omnino renititur, caueat ne acceptam pecuniam in ſudariōligās, de eius occultatione iudicetur (pecuniam ſiquidē in ſudario ligare eſt, percepta dona ſub otio lenti torporis abſcondere): iſte ſi faciliter acceptat, videat ne per mali operis exemplum fiat obſtaculum ingredientibus regnum cælorum, more Phariſęorum: quibus Dominus dixit, quòd neq; ipſi intrabant, neq; alios intrare permittebant. Denique cum ſit datus

medicus

medicus aliorum, si passionibus adhuc abundat, quomodo percussum curare properat, qui in facie vulnus portat?

¶ Ille igitur (ait) ad exemplum vitæ pertrahatur, qui cunctis carnis passionibus moriens, iam spiritualiter viuit: qui prospera mundi postponit, qui nulla aduersa pertimescit, qui sola interna desiderat, qui pietatis affluit visceribus, qui citius flectitur ad ignoscendum: sed numquàm plusquam decet ignoscens, ab arce rectitudinis inclinatur: qui non perpetrat illicita, sed ab alijs perpetrata vt propria deplorat, & in profectibus proximi exultat: qui sic recte viuat, vt tamen arentia proximorum corda, fluentis doctrinæ irrigare non cesset: qui orationis vsu & experimento, iam didicit, quòd obtinere a Domino quæ poposcerit, possit. Nam si homo apud hominem, non sibi familiarem erubescit fieri intercessor, qua audacia intercessoris officium arripit apud Deum, qui per merita vitæ, ei se familiarem nescit? Cuncti enim liquido nouimus, quòd cum is qui displicet, ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora prouocatur.

Idem c. 10 *c. 11.*

¶ Sit ergo pastor (ait Idem) actione præcipuus, præ cunctis contemplatione suspensus, discretus in silentio, vtilis in verbo, singulis compassione proximus, bene agentibus per

Grego. 2. partis ca. 1.

humilitatem socius, cōtra delinquentium vitia per zelum iustitiæ erectus, internorum curam in exteriorum occupatione nō minuens, exteriorum prouidentiam in internorum solicitudine non relinquens. Necessitate loci com pellitur summa docere, & ideo eadem necessitate compellitur eadem, vita, & opere monstrare. Quid insanius quàm docere contemnen dum fastum, & epulas splendidas, & cetera huius generis, & hæc eadem operibus sectari? immo credere necessaria ad auctoritatem offi-
Esa. 40. cij? Ideo prædicator iubetur ascendere super montem excelsum, videlicet vt sit eleuatus a terrenis affectibus & operibus, & (vt ibidem dicit) non solum debet vita transcendere malos, sed etiam omnes bonos subditos: quia sicut eos superat honore ordinis, ita & excellen tia virtutis: omnibus deuotior, humilior, patientior, abstinentior, largior. &c. quiq; nulla prospera præsentis vitæ appetat, nulla aduersa pertimescat: blandimenta mundi (conside rato intimo terrore, ac periculo status sui) despiciat: terrores autem mundi (considerato blandimento internæ dulcedinis) contemnat.
Gre. 2. p. c. 3. Non illum prospera eleuent, non aduersa perturbent, non blanda vsq; ad voluptatem demulceant, non aspera vsq; ad desperationem
2. cor. 6. premant. Ideo dicit Paulus, Per arma iustitiæ
Exo. 28. a dextris & a sinistris: Et, Superhumerale pon-

tificis

tificis vtrumq; humerum operiebat : & erat in eo coccus bis tinctus, ideſt ardor charitatis Dei & proximi. Contra vitia clamet, neq; ceſſet quaſi tuba exaltet vocem ſuam : nō ſit ſicut illi de quibus Eſai. 56. dicitur, Canes muti nō valentes latrare : Et Paulus, Vt potens ſit exhortari in doctrina ſana, & eos qui contradicunt arguere. Specialiter vero ſemper audiatur ſonitus prædicationis eius, quando ingreditur Sanctuarium : ob cuius ſignificationem tintinnabula iubebantur innecti veſtimẽtis ſacerdotalibus. Hoc eſt, bonis operibus vox, & ſonitus prædicationis adiungatur. *Tit. 1.*

¶ Paſtor cum Paulo ad tertium cęlum cōtemplatione rapiatur : & cum eodem per viſcera pietatis deſcendat ad terras, dicens. Quis infirmatur, & ego nō infirmor? &c. Factus ſum Iudæis tamquam Iudæus. &c. Cum Moyſe crebro ingrediatur & egrediatur tabernaculum : videlicet intus in contemplationem rapiatur, foris infirmantium negotijs vrgeatur : intus Dei arcana conſideret, foris onera carnalium portet : & cum eodem in dubijs ad arcam teſtamenti, ad conſulendum Dominum recurrat, exemplo Saluatoris noſtri, qui poſtquam in monte orationi vacauerat, ad vrbes, ad miracula, pro releuandis hominum miſerijs deſcendebat : quia tunc ad alta charitatis mirabiliter ſurgit, cum ad ima proximorum ſe mi- *Greg. c. 5.* *2. cor. 11.*

sericorditer attrahit: & cum benigne descendit ad infima, valenter recurrit ad summa. Ideo

Gen. 28. in scala Iacob Angeli ascendebant & descendebant, scilicet per contemplationem, subuentionem.

Greg. c. 5. ¶ Tales se exhibeant pastores subditis, vt illis occulta sua ac fluctus tentationum pandere non erubescant: sed fidenter ad pastoris mentem, quasi ad sinum matris recurrant.

Greg. c. 6. ¶ Cum subditis bene viuentibus, quasi æqualem se exhibeat. Cum autem aliquis in culpam labitur, protinus potestatẽ sui prioratus agnoscat. Nam cũ natura omnes homines sint ęquales, sola culpa vnum alteri postposuit. Absit igitur a Pręlato, quòd gaudeat pręesse, sed duntaxat prodesse. Vnde solis illis subditis se timendos ac tremendos exhibeant, qui Deum non timent.

Greg. ¶ Sed heu, plerumq; rector eo ipso quo cæteris præeminet, elatione cogitationis intumescit: dum videt iussa sua velociter impleri, laudibus efferri (aliquãdo etiã in male gestis &c.) incipit intus euacuari veritate, impleri vanitate, & oblitus sui, in voces se spargit alienas: talemq; se credit, qualem se foris audit, non qualem intus discernere debuit: & iam credit se meritis excedere, quos potestate transcendit: cunctis se æstimat amplius sapere, quibus se videt amplius posse: in quodam se constituit

culmi-

culmine apud semetipsum: & ex æquo respicere ceteros dedignatur, vt fiat similis illi qui dixit, Ascendam super altitudinem nubiũ &c. Merito siquidem apostatæ Angelo similis efficitur, qui alijs hominibus esse similis dedignatur: sicut Saul, quem humilitas fecit prælatum (dicente Domino, Nonne cum paruulus esses, in oculis tuis, caput in tribubus factus es) superbia vero reprobum, & a Deo reprobatum. Cum enim apud se paruulus esset, apud Deum magnus erat: cum autem apud se magnus fuit, apud Deum paruulus factus est. *1. Reg. 5.*

¶ Igitur pastor bonus æqualem se cernat, peccantibus autem zelo vltionis se anteferat, imitans pastorum principem Petrum: cui cum bonus Cornelius se prosterneret, dixit, Surge: ne feceris & ego ipse homo sũ. Contra Ananiã autem, & Saphyram potẽtissimum se exhibuit. Sic Paulus, bonis quidem dicebat, Non quia dominamur fidei vestræ, sed adiutores sumus gaudij vestri. & subiungit rationem, Nam fide statis. Item dicebat, Facti sumus paruuli in medio vestrum. Et rursum, Nos autem serui vestri per Christum. At contra incæstuosum imperiose se erexit, tradens illum Sathanæ. Et rursum, Vultis in virga veniam ad vos? Igitur summus locus bene regitur, cum ille qui præest, vitijs potiusquàm fratri- *Idem. In past. p. 2. cap. 6. Act. 10. 2. cor. 1. 1. Thes. 2 2. cor. 4. 1. cor. 4.*

 bus

bus dominatur: & cum vitioſos punit, eoſdem tacita cogitatione ſibi præfert. Nam, vt ibi optime dicit, Paſtor tanto apud Dominum obligatior eſt ad ſui ipſius correptionē & humilitatem, quanto apud homines nemo eſt qui illum corripiat. Subditus autem tanto a diuino iudicio liberior eſt, quanto hic ſuarum culparum habet vltorem.

Idem, 2. par. c. 6. ¶ Solerter tamen (ait) intueri debet prælatus, ne dum immoderatius cuſtoditur virtus humilitatis, ſoluantur iura regiminis: Et dum prælatus quiſque plus ſe quàm decet, deijcit, ſubditorum vitam ſtringere ſub vinculo diſciplinę non poſſit. Teneant ergo rectores exterius quod pro aliorum vtilitate ſuſcipiunt: ſeruent interius quod de ſua æſtimatione pertimeſcunt. Sed tamen quibuſdam ſignis decenter erumpentibus, eos apud ſe eſſe humiles, etiam ſubditi deprehendant: quatenus & in auctoritate eorū quod formident, videant: & in humilitate, quod imitentur agnoſcant.

Ibidem, ¶ Cum autem (ait) rector delinquentē punire compellitur, ſolicite obſeruare debet, vt ſic iura diſciplinę contra delinquentes exerceat, vt pietatis viſcera non amittat: ſimul enim ſe exhibere debet & matrē pietatis, & patrem diſciplinæ. Atque inter hæc ſolicita circunſpectione prouidendum, ne aut diſtrictio ſit rigida, aut pietas remiſſa: nam diſciplina & miſeri-

misericordia multum destituitur, si vna sine altera teneatur. Insit ergo rectori circa subditos & iuste consolans misericordia, & pie sæuiens disciplina: infundat vulneribus vinum & oleum, vt scilicet per vinum mordeantur vulnera, & per oleum foueantur. Ille igitur qui sanandis vulneribus præficitur, in vino morsum doloris adhibeat, & in oleo mollitiẽ pietatis: quatenus per vinum mundentur putrida, & per oleum foueantur sananda. Miscenda ergo est lenitas cum seueritate, & faciendum quoddam ex vtroque temperamentum: vt neque multa asperitate exulcerentur subditi, neq; nimia benignitate soluantur. Vnde sicut in arca testamenti erat simul virga & manna: sic in pectore pastoris rigor & dulcor. Vnde Dauid, Virga tua & baculus tuus ipsa me cõsolata sunt. virga enim percutimur, baculo sustentamur. *ps. 22.*

¶ Item (ait) duo extrema debet cauere pastor. ne aut exterioribus curis nimis deditus, ab intimis corruat; aut solis interioribus occupatus, quæ foris debet proximis, non impendat. Incidentes in primum extremum sunt illi, qui obliti se datos esse in prælatos propter salutem animarum, diebus ac noctibus solis curis externis incumbunt. Quo fit, vt interna (quæ alios docere debuerant) ignorent: quo etiam fit, vt subditi non perficiant, sed potius *Grego.*

tiùs in spiritualibus torpeant: quia non habent pastorem, eorum animas ad cælestia subleuantem, & ducem, viam perfectionis ostendentem. Si enim a duce itineris erratur, exercitus sequens quomodo pertinget? Hic enim potius terreni iudicis, quàm cælestis ducis officium exercens, terrenis studijs suis excæcat oculos subditorum. Vnde Dominus, non solum pastores, sed & omnes admonet dicens, *Luc. 21.* Videte ne grauentur corda vestra in crapula, & ebrietate, & curis huius sęculi. Et Apostolus, *2. Tim. 2* Nemo militans Deo implicat se negotijs sæcularibus, &c. Et item, Quæ sursum sunt, sapite, quæ sursum sunt quærite, non quę super terram: mortui enim estis &c. Quòd si Episcopi dixerint, Multa nobis sæcularia negotia commissa sunt, respondet Gregor. *In past. p. 2. c. 7.* adducens illud Pauli. 1. ad Corinth. 6. Sęcularia iudicia si habueritis, contemptibiles qui sunt in Ecclesia illos constituite ad iudicandum, vt scilicet illi in terrenis & sæcularibus negotijs occupētur, qui penetrare intima nequeunt. Ideo merito Iethro arguebat Moysem, quia terrenis populi negotijs stulto labore seruiebat: consulens vt ad iurgia dirimenda alios constitueret iudices, vt ipse liberius vacaret arcanis cælestibus cognoscendis ad populum erudiēdum. Igitur a subditis inferiora gerenda sunt: a rectoribus summa cogitāda: vt scilicet oculum,

 qui

qui prouidendis greſſibus præeminet, cura pulueris non obſcuret: pedum namq; eſt, puluere inuolui, monſtruoſum autem eſt, quòd caput (ideſt paſtor) ad puluerem recuruetur, & cum eo inuoluatur. Et de his paſtoribus dicitur, Quomodo obſcuratum eſt aurum &c. *Tren. 4.*
Et, Lapides ſanctuarij diſperſi ſunt in medio *Ibidem.*
platearum, ideſt in latitudine negotiorum terrenorum, relinquentes ſecreta ſanctuarij. Igitur concludit Gregorius, Sæcularia negotia ali *2.p.c.7.*
quando ex compaſſione toleranda ſunt, numq̃ vero ex amore requirenda: ne cum mentem diligentis aggrauant, hanc ſuo victam pondere ad ima de cæleſtibus mergant. Ideo ſemper cauendum paſtoribus, ne dum temporali ſolicitudini incaute deſeruiunt, & vehemẽter incumbunt, ab intimo amore refrigeſcant, & foras fuſi, obliuiſci non metuant ſe eſſe animarum paſtores.

¶ Cauendum etiam alterum extremum. Sunt *Idem.*
enim (ait) quidam qui ſic ſibi vacare ad ſpiritualia appetunt, vt rebus exterioribus nullatenus occupentur, quorum nimirum prædicatio plerumq; deſpicitur: quia ſubditis neceſſaria pro vita temporali non tribuunt. Egentis enim mentem ſermo prædicãtis non penetrat, quem miſericordia eius non rigat. Sic ergo oues oportet interno paſtu ſaginare, vt etiam eis exteriora prouideantur. Ideo Paulus, *In paſt. 2 p.c.7.* *1. Tim. 5*

ſi quis

ſi quis autem ſuorum & maxime domeſtico-rum curam nō habet. &c. Igitur paſtores neq; vehementer incumbāt curis exterioribus,neq; ex toto eas relinquant. Et ad hoc adducit illud Ezechiel. 44. vbi præcipitur ſacerdotibus, vt neq; radant capillos, neq; comam nutriant; ſed dumtaxat tondeant. Per capillos enim ex-ternæ curę ſignificantur: quæ ſi nimis creſcūt, oculos internos impediunt, ne videre poſſint. Non ſunt ergo radendæ ex toto,ſed tondendæ ideſt ſub certa menſura tenendæ.

Greg.p.2 c.8. ¶ A paſtoribus etiam omnia prædicta optime obſeruantibus, diligenter cauendum, ne cu-pido placendi hominibus eos teneat: alio-quin ſimiles erunt adultero puero, qui place-re concupiſcit oculis ſponſæ domini ſui, per quem ſponſus dona ſponſæ tranſmiſit. Ex hoc enim amore proprio, quo placere hominibus concupiſcunt, procedit ſæpe, quòd non cor-ripiant delinquentes, immo etiam aliquando demulceant: quod (vt dicitur Ezech. 13.) eſt ponere ceruicalia ſub capite, & puluillos ſub cubitis delinquentium, & a rectitudine vitæ cadentium, Cum enim ament gloriam mun-di, & fauorem hominum, blande tractant il-los etiam peccantes, qui in gloria deſiderata poſſunt illis nocere. Contra eos autem quos aduerſum ſe nihil valere conſpiciunt, tota au-ſteritate & dominatione armantur, vt etiā hac

via gloriam venentur. Vnde Ezech. 34. Vos cũ austeritate imperabatis eis, & cum potẽtia.

¶ Pura tamen potest esse intentio appetẽtis ab ouibus diligi, scilicet vt in eis faciat fructum: vt dilectio & æstimatio sit quædam via, qua ad amorem conditoris oues introducantur: non enim libenter auditur prædicator, qui non diligitur. Non ergo pastor quærat diligi pro se ipso, sed vt possit libenter audiri. Et hoc modo dicebat Paulus, Ego per omnia omnibus placeo: cum tamen etiam dicat. Si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem. *Greg. 2. par. c. 8.* *1. cor. 10.*

¶ Valde attendere debet rector, quòd plerũq; vitia, virtutes se esse mentiuntur v.g. (ait Gregorius) sub parsimoniæ nomine tenacia se palliat: effusio, sub appellatione largitatis: inordinata remissio, creditur pietas: effrenata ira, zelus virtutis: præcipitata actio, æstimatur velocitas & efficacia: agendi tarditas, consilium grauitatis. Vigilanter ergo attendat rector, ne putet se bene agere dum peccat. *Greg.*

¶ Prælatus peccans tot mortibus dignus est, quot ad subditos suos perditionis exempla transmittit. Vnde tanto cautius debet se a peccato custodire, quanto peccando nõ solus tantum moritur, sed omnium animarum, quas prauis exemplis destruit, reus est. *Idẽ Greg. p. 3. admõ.*

¶ Tibi qui curam animarum suscepisti, terribiliter intonat Salomon Prouerb. 6. dicens Fili *Ibidem.*

si spoponderis pro amico tuo, illaqueatus es
Proue.6. verbis oris tui &c.Fac ergo quod dico fili mi, & temetipsum libera: discurre, festina, suscita amicum tuum: ne dederis somnum oculis tuis, neq; dormitent palpebræ tuæ. Dormit
In Past. 3. p. Admon. 5. namq; pastor (ait Gregorius) quando omnino negligit curam subditorum: quia eorum acta neq; scit, neq; corrigit. Dormitat etiam, quando cognoscit quidem quæ reprehendi debent, sed pigredine depriméte ea dissimulat; ac propter mentis tædium dignis ea increpationibus non emendat. Et sicut oculus dormitando ad plenum somnum ducitur, ita pastor non resecans malum quod cognoscit, adhoc peruenit, vt neq; delicta subditorum agnoscat. Debent ergo pastores esse, sicut animalia illa plena oculis intus & extra: intus, vt omnia propria delicta coram æterno iudice agnoscant & emendent: foris autem, vt quæ in alijs sunt corrigenda deprehendant.

Idem. Vbi sup. ¶ Cauere tamen valde debent (ait) subditi, ne contra facta pastorum murmurent: vnde Iudæis murmurantibus contra ipsum Moysem
Exo. 16. & Aaron, dicebat, Neque contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum: nos enim
1. Reg. 18. quid sumus? Vnde Dauid percussit cor suum, etiá de minima præcisione oræ vestis Saulis: quia Christus Domini erat: qua designatur tenuissima laceratio, quæ verbis fit.

Collecta

COLLECTA EX EPISTOLIS

Beati Gregorij, Epistola igitur quinta his uerbis depingit onus suum.

SVB COLORE Episcopatus, ad sæcu lũ sum reductus: & in pastorali cura tantis terræ curis inseruio, quãtis me in vita laica nequaquã deseruisse reminiscor. Alta enim quietis meę gaudia perdidi, & intus corruẽs, ascendisse videor exterius, vñ me a cõ ditoris mei facie lõge expulsum deploro. Cona bar nãq; extra mundũ, extra carnẽ fieri: cũcta phãtasmata corporis ab oculis mẽtis abigere, & nõ solũ vocibus, sed medullis cordis ad Dei speciẽ anhelãs dicebã, Tibi dixit cor meũ, quęsiui vultũ tuũ: vultũ tuũ Dñe requirã: nihil in hoc mũdo appetẽs, nihil pertimescẽs. Videbar mihi in quodã rerũ vertice stare: ita vt ĩ me penẽ ĩpletũ crederẽ, qđ per Esai. 54. Dñs ꝓmittit, Sustollã te sup altitudines terræ (sup altitudinẽ.n. terrę sustollit, q̃ ipsa quæ alta & gloriosa ꝑsentis sæculi vident, p mẽtis despectũ calcat.) A quo vertice corrui in timores & pauores, impulsus turbine huius tẽtationis: q̃a & si mihi nihil timeo, eis tñ qui mihi cõmissi sũt, multum formido. Vndiq; causarum fluctibus quatior, ac deprimor tempestatibus, ita vt recte dicam, Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me. Redire ad cor desidero post

Greg. Ex regist lib. 1. epist. 5.

ps. 26.

causas

cauſas, ſed vanis ab eo cogitationum tumultibus excluſus, redire non poſſum: ita vt obẽ
Eſaias 46 dire nequeam voci prophetæ, Redite præuaricatores ad cor: ſed ſtultis preſſus cogitationibus, ſolummodo exclamare compellor, Cor meum dereliquit me. Et paucis interiectis; Sed quis inter tot terrenas curas valeat Dei myſteria prædicare, cum mihi difficile ſit ſaltem recolere? Preſſus enim in hoc honore, negotiorum ſæcularium tumultu, ex eis me eſſe
pſ.72. video, de quibus ſcriptum eſt, Deiecisti eos dum alleuarentur: quia dum foris videntur ſurgere, intus cadunt, ſimiles fumo, qui aſcendendo deficit, & ſe ſe dilatando euaneſcit.
pſ.36. Ideo ſcriptum eſt; Deficientes quemadmodum fumus deficient. Et illud, Deus meus
pſ.82. pone illos vt rotam: rota enim in anterioribus corruens, in poſterioribus eleuatur: quia quanto eleuantur in bonis præſentis vitæ, tanto in æternis corruunt. Et quamuis aliqui ſint, qui ſic exteriores prouectus regere ſciunt, vt per eos nequaquam interius corruant: ſed mihi hæc difficilia ſunt, quia & valde oneroſa: & quod mens ſponte non recipit, congrue non diſponit. Hæc ille. Et quia ſcribebat Sorori Imperatoris, concludit Epiſtolam his verbis, Imperator iuſſit vt ſymia fieret leo: & quidem eius prouiſione ſymia vocari leo poteſt, fieri autẽ nõ poteſt.

Vndẽ

Vnde necesse est, vt omnes culpas ac negligentias meas nō mihi, sed suæ pietati deputet, qui virtutis ministerium infirmo commisit.

¶ Deplorat etiam, quòd indignus & infirmus suscepit nauem vetustam, & vehementer confractam: in quam vndique fluctus intrant, & quotidiana ac valida tempestate quassatæ, putridæ tabulæ naufragium sonant. *Idē Epistola. 4. Io. Episc. costant.*

¶ Idem sic ait. Dum contemplationis dulcedinem alte describitis, ruinę meæ mihi gemitum renouastis: quoniam audiui quid intus perdidi, dum foris ad culmen regiminis immeritus ascendi. Tanto autem me percussum mœrore agnoscite, vt vix loqui sufficiam: oculos enim mentis meæ doloris tenebræ obsident. Triste est quicquid aspicio: quicquid delectabile creditur, cordi meo lamentabile apparet: penso enim qualiter ab alto quietis meę culmine cor ruens, vbi deiectus sim, & pro culpis meis in occupationis exilium a facie dominantis missus, quasi destitutę viduæ vocibus cū Propheta dico, Qui consolabatur me, longè recessit à me. *Epist. 6. ad Patri.* *ps. 68.*

¶ Et in Epistola. 7. Depressus sum vsque ad terram superposito onere, ita vt mentis rectitudinem funditus perdens, contemplationisque aciem amittens, per experimentum dicam, Incuruatus sum & humiliatus sum usquequaque: tanta quippe occupationum onera de- *Idē. Anastasio episc. Antiochenо. ps. 118.*

primũt, vt ad ſuperna animus nullatenus erigatur. multis enim cauſarum fluctibus quatior, & tumltuoſæ vitę tempeſtatibus affligor. Periclitanti igitur mihi orationis veſtræ manũ tendite vos, qui in uirtutũ litore ſtatis. Quòd verò me os Domini, quòd lucernam dicitis, quòd multis prodeſſe perhibetis, hoc mihi ad iniquitatum mearum cumulum accedit, vt cũ vindicari in me iniquitas debuit, laudes pro vindicta recipiam. Et in fine Epiſtolæ vocat Anaſthaſium cui ſcribebat, vt veniat ad conuiuendum ſecum Romæ. Quatenus (ait) dum vos videre meruero, peregrinationis noſtræ tædium, de æterna patria inuicem loquendo, releuemus.

Idẽ. Epiſt. 24. lib. 1. Epiſc. Cõſtãtinop. ¶ Conſideranti mihi quòd impar meritis, atque toto animo renitens, paſtoralis curæ pondera portare compulſus ſum, caligo mœroris occurrit, & triſte cor nihil aliud niſi eas, quæ videre nihil ſinunt tenebras, videt. Nam quid antiſtes ad Dominum, niſi pro delictis populi interceſſor eligitur? Qua igitur fiducia ad Deum pro peccatis alienis interceſſor venio, apud quem de proprijs ſecurus non ſum? & cetera. Immo formido illud, quia cum is qui diſplicet ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora prouocatur. Et valde pertimeſco, ne commiſſa mihi plebs fidelium, reatus mei additamento depe-

depereat, cuius nunc vſque delicta Dominus æquanimiter tolerabat. Cũ verò vtcumq; hunc timorem ſupprimo, & conſolatam mẽtem ad pontificalis operis ſtudia accingo, conſiderata ipſa rei immenſitate, deterreor. Si ſcriptum eſt, Mundamini qui fertis vaſa Domini, pondera quàm munda conuerſatio debet eſſe illius, qui ad æternitatis templum vaſa viuentia in ſinu propriæ conuerſationis portat. Ideo rationale iudicij præcipitur Aaron geſtare, quia cor Epiſcopale non cogitationes fluxæ, ſed ſola ratio conſtringere debet: in quo nomina. duodecim antiquorum. Patriarcharum erant ſcripta: quia vitas ſanctorum Epiſcoporum ſemper in corde gerere debet, & ſecundum eas viuere, & cetera. *Eſa. 52.*

¶ Et poſt multa ſubiungit, Suſcepto itaque paſtoralis curæ onere, cum cuncta hæc, atque alia huiuſmodi multa conſidero, videor, quòd eſſe non poſſum: maximè quia hoc in loco quiſquis paſtor dicitur, curis exterioribus grauiter occupatur, ita, vt ſæpe incertum fiat, vtrum paſtoris officium, an terreni Proceris agat. Et quidem quiſquis regendis fratribus præeſt, vacare penitus a curis exterioribus non poteſt: ſed tamen curandum magnoperè eſt, ne ab his immoderatè deprimatur. Igit fratres ſanctiſſimi (Epiſcopos apellat, *Idem.*

quibus ſcribebat) per venturum iudicem vos rogo, vt laſſeſcentem ſub onere veſtris orationibus iuuetis, & oremus pro inuicem, vt ſaluemur: quia dum nos vobis per orationis opem coniungimus, quaſi ambulantes per lubricum viciſſim nobis manus tenemus: fitque ex magna ꝓuiſione charitatis, vt eo robuſtius ſingulorum charitas perfigatur, quo in alterum alter innititur.

¶Quòd me ad Epiſcopatus ordinem cognoſcitis perueniſſe, ſi me diligitis, plangite: quia hic huius mundæ tantæ occupationes ſunt, vt per Epiſcopatus ordinem penè ab amore Dei me videam eſſe ſeparatum: quod inceſſanter defleo, atque vt ꝓ me Dominũ exoretis rogo.

Idē. 30. *ad Ioan. Patriciũ.* ¶ Dominus me à tãto huius loci periculo qualiter voluerit abſoluat: quia ſicut peccata mea merebãtur, non Romanorum ſed Longobardorum Epiſcopus factus ſum: quorum ſynthiciæ ſpatæ ſunt. Gemo quotidie occupationibus preſſus, & reſpirare non valeo. Ecce quo me patrocinia veſtra perduxerunt: ſed vos qui adhuc valetis, huius mundi occupationes fugite: quia quanto in eo quiſque profecerit, tanto (vt video) ab amore Dei amplius decreſcit.

Idem. 31. ¶ Et Epiſtola. 31. ad Philippum comitem, qui dederat operam, vt ipſe pontifex crearetur. In quantum (ait) homo diſcutere, & inueſtigare

iudicia superna non sufficit, intantum sub eis debet ceruicē cordis inflectere. Et quia id qđ sibi tribuitur, quo iudicio dispōatur, ignorat, nec ad appetendum locū procax existere, neq; ad repellendum contumax debet inueniri. Vnde indignus ego ad subeunda Episcopatus onera, iussioni omnipotentis Dei, vestræq; me voluntati subdidi &c.

¶ Tantis fluctibus quatior, vt vetustam ac putrescentem nauem quam regendā occulta Dei dispensatione suscepi, ad portum dirigere nullatenus possim. Ingemisco, quia sentio, quòd negligente me crescit sentina vitiorum. Flens reminiscor, quòd perdidi meæ placidum litus quietis: & suspirando terram conspicio, quam tamen rerum ventis aduersantibus tenere non possum. *Epist. 41. ad Leandrum Episcopum Hispaniarum.*

¶ Quomodo nolebat recipere munera, habes Episto. 64. vbi rescribēs Felici Episcopo, dicit, Quoniam nō delectamur xenijs palmatianis, quas tua direxit fraternitas, cum gratiarū actione suscepimus, sed eas, ne aliquod exinde potuisses sentire dispendium, digno fecimus pretio venundari: & id fraternitati tuæ trasmisimus sigillatim, *Idem.*

¶ Si sacerdotale officiū, quod accepimus secure ministramus, & diuinum adiutorium, & spiritualium dilectio filiorum proculdubio nobis aderit. Propterea frater Episcope testimo- *Idē Epist. 7. lib. 2.*

nium bonum quod habes in ciuitate Neapolitana, bonitatis tuæ augmento roboretur. Igitur ſic te debes in præfati populi adhortatione aſſidua occupatione conſtringere, vt verbi tui fructum (quem in eis fueris operatus) in ſuis horreis diuinus condat agricola.

Idem. ¶ Et in. 12. quia ſcribebatur ei, quòd celeriter crearet Epiſcopum Neapolitanum, reſpondet. Quia (ait) vtilitates illius Eccleſiæ ſumma cupio firmitate vallare, diuturna de hoc neceſſe habeo deliberatione tractare: vt eam digna poſſim ordinatione Chriſto reuelante diſponere. Et ibi cap. 69. dicit, quòd nulla cura eum magis ſolicitabat, quam cùm ad cõſecrandum Epiſcopum eius expectabatur arbitrium.

¶ Et cap. 68. aſſerit, quòd iuxta meritum plebium ſolent ſuperno iudicio perſonæ prouideri paſtorum.

¶ Epiſcopus cum omnibus hominibus ſummopere debet procurare pacem, Vnde Greg. ibi cap. 91. Ego atteſtante mihi conſcientia fateor, quia cum nullo homine habere ſcandalum volo, & quanta valeo virtute declino: ego per elationem nihil quæro.

Idẽ Epiſt. 15. ibi. 4. ad quẽdã Epiſcopũ ¶ Animarum lucrum Deo noſtro, tota mentis intentione facere feſtinate: quia nomen paſtoris non ad quietem, ſed ad laborem ſuſcepimus. Exhibeamus ergo in opere, qđ ſignamus

in nomine: & tamen semper considerate illud, Quid prodest homini, si totum mundum lucretur, &c. Igitur peritura penitus cõtemnamus, &c. *Mat. 16.*

¶ Ibidem Epistola. 32. scribens Mauritio Cæsari sup Iohan. Episcopo cõstantinopolitano, qui vsurpabat sibi nomen vniuersalis Episcopi, de superbia & fastu Episcoporum inter alia dicit. Quid dicturi sumus, qui populum Dei cui indigne præsumus, peccatorum nostrorũ oneribus premimus? corpus despectis vestibus tegitur, & elatione cordis purpuram superamus: iacemus in cinere, & excelsa respicimus doctores humilitatis, & duces superbiæ: & ouina facie lupinos dentes abscondimus. Exclamare compellor, O tempora, ò mores: ecce cuncta iacent, & tamen Episcopi qui in pauimento & cinere flentes iacere debuerunt, vanitatis sibi nomina expetũt. Ego (ait) cunctorum sacerdotum seruus sum: in quantum illi sacerdotaliter viuunt. Tumidi autem, qui contra statuta Patrum ceruicem erigunt, in omnipotente Domino confido, quòd ceruicem meam sibi neque cum gladijs flectent. *Idem.*

¶ Pondera vero, & time quod de eodẽ Iohan. dicit Epistola. 38. quòd in principio cum clectus est ad Episcopatum Constañ. voluit fugere, ne esset Episcopus: postea verò ad hoc *Greg. Ad Episc. Cõstãtinop.*

perductus eſt, vt deſpectus omnibus Epiſcopis, ſolus Epiſcopus eſſe appeteret, & procuraret appellari.

Idem. ¶ Ibi. Quid ſunt Epiſcopi, niſi aſtra cæli? quorum vita ſimul & lingua, inter peccata erroreſque hominum, quaſi inter noctis tenebras lucent?

Idem. Ad Andreá ſcolaſt. ¶ Vt habetur Epiſtola. 45. lib. 4. Gregorius coegit quendam Marianum monachum, omnino renitentem ſuſcipere Epiſcopatum: Ideo ſcribit cuidã, quòd conſoletur eum: quia (ait) cuiuſlibet officij valde oneroſa eſt nouitas; præſertim quia poſt lõga quietis otia, eius proculdubio nouitas perturbabitur. Ideo peto, vt cũ venerit, tempeſtatum ſæcularium procellas fugiens, ſemper apud veſtram mentem portũ quietis inueniat. Confido in Domino, quòd ad interiora illum exacuet: & ad exteriora gerenda canfortabit.

¶ Epiſtola. 4. lib. 6. ad Epiſcopum Conſtan. qui dixerat ſe infirmum ad tantum onus, reſpondet. Prima virtus eſt cognitio infirmitatis, atque ex hoc colligimus, vos bene poſſe ſuſceptum miniſterium implere: quia hoc cognoſcitis. Ille omnibus infirmior, qui ſuam non agnoſcit infirmitatem.

Idem. ¶ Ibidem Epiſt. 5. eundem exhortatur ad tolerandum onus paſtorale, afferens illud, Si

2. Cor. 5. Chriſtus ꝓ omnibus mortuus eſt, reſtat vt qui

viuunt

viuunt non sibi viuant, &c. Et quia ille scripserat in Epistolis suis, quòd semper anhelabat ad mentis tranquillitatem & quietem, & ad fugiendam cogitationum perturbationem, respondet, quòd pastor non potest funditus repellere perturbationem cogitationum & curarum terrenarum: quia scriptum est, quòd etiã gigantes gemunt sub aquis, id est, populis. Dicit tamen, quòd huic curæ modus ponendus est, ne nimis excrescat: quia boni pastores afflante Spiritusancto inter medias turmas populorum & negotiorum non obruuntur, neque caput mentis submittunt; ambulant per siccum in medio mari, & impletur in eis illud Isai. 43. Cum transieris per aquas, tecum ero, & flumina non operient te. Et quantum ad periculum officij pastoralis, & securitatem solitudinis, respondet, quòd vbique est periculum, & sola Dei gratia saluat. Nam Loth in peruersa ciuitate fuit iustus, & in monte peccauit: Angelus etiam peccauit in cælo, homo verò in paradiso.

¶ Ibidem Epistola. 29. ad quendam, Ego te bene viuere scio: me autem multis peccatis oneratum noui: quòd si tu etiam peccator es, me tamen multo melior: quia tu tua tantummodo peccata, ego & eorum qui mihi commissi sunt, porto. *Idem. Ad Anatabiú pres.*

¶ Serui Dei præsentes pascunt sapore conuer- *Idem.*

uerſationis & doctrinæ : abſentes verò, odore bonæ famæ.

¶ Pondera labores paſtoris terreni pro pecoribus ſeruandis. Vide quid Iacob dicat, Gen. 31. Viginti annis fui tecum, oues tuæ ſteriles non fuerunt, nec captum a beſtia oſtendi tibi, dieque noctuque æſtu vrgebar & gelu : fugiebatque ſomnus ab oculis meis, &c. Quid ergo nos facere par eſt pro ouibus Chriſti ?

¶ Epiſtola. 125. lib. 7. ad Leandrum, qui eum in Epiſtola laudauerat. Nolite (ait) me vocare Noemi, ideſt pulchram : ſed vocate me marà : quia amaritudine plenus ſum : neque .n. bone vir hodie ego ſum ille, quem noſti. Multum fateor exterius proficiendo, interius cecidi. De illorum numero ſum, de quibus ſcri-
ps. 72. ptum eſt, Deieciſti eos dum alleuarentur: cum eleuatur enim, deijcitur ille, qui honoribus proficit, & moribus cadit. Ego enim vias mei capitis .i. Chriſti ſequens, ſummopere eſſe decreueram opprobium hominum, & abiectio plebis, atque aſcenſus diſponere in valle lachrymarum : vt tanto verius intus aſcenderē, quanto foris per conuallem lachrymarum humilius iacerem : At, me multum nunc deprimit honor oneroſus, curæ innumeræ perſtrepunt : & cum ſeſe ad Deum animus colligit, hunc ſuis impulſibus quaſi quibuſdam gladijs ſcindunt, nulla cordis quies eſt : proſtratum,

& in

& in infimis iacentem, ac suę cogitationis pōdere depressum, nulla aut rara valde contemplationis pēna in sublimia leuat. Torpet ignaua mens, & circumlatrantibus curis temporalibus, iam pene ad stuporem deducta, cogitur modo terrena agere, modo etiam quæ sunt carnalia dispensare. Aliquando vero studio exigente, compellitur quædam etiam cum culpa disponere. Quid multa loquar? Victa suo pondere sanguinem sudat, idest, culpam. Prospero flatu nauigabam, quando in monasterio tranquillam vitam ducebam, sed procellosis subito motibus tempestas exorta, in sua perturbatione me rapuit, & prosperitatem itineris amisi: quia perdita quiete, naufragium mentis pertuli. Ecce nunc in vndis versor, & tuæ intercessionis tabulam quæro, vt qui in naui integra diues peruenire non merui, saltem post damna ad litus per tabulam reducar. De podagræ vero dolore, quo scribis te afflictum, ego etiam assiduo dolore vehementer attritus sum. Sed consolemur, q̄a potius sunt dona, qnam flagella dolores hi, quibus delicta purgamus. Præterea ex benedictione B. Petri mitto vobis pallium ad sola missarum solennia vtendum. Hæc ille.

¶ Qui per iter huius mundi vasa auri & argenti portat, hoc est, magna merita, caueat a latronibus. i. dæmonibus de vanitate tentantibus. *Epistol. 126. lib. 7*

Qui

Qui enim non potuerunt in principio impedire bona opera, ne fierent, poſtquam facta ſunt, reducunt ea in mentem, vt decepta mẽs admiretur quàm ſint magna, quæ fecit, & ſic ea perdat. Contra quem per Ezech. 16. dicitur, Habens fiduciam ĩ pulchritudine tua, fornicata es ĩ nomine tuo, appetendo ſcilicet proprij nominis gloriam. Ideo contra eam ibi dr̃. 32. Quo pulchrior es, deſcende .i. cade à gratia mea, nempe ob elationem tuam. Remedium ergo contra hoc, eſt iugiter ad memoriam reducere propria delicta.

¶ Væ qui culmen regiminis non ad officium portandi oneris ſuſcipit, ſed ad appetitũ gloriæ & tranſitorij honoris. Væ qui dux Chriſtianæ militiæ fieri ſuſtinet, non dum veteranus miles .i. diu exercitatus in omnium victoria. Epiſcopus eſt aurora oriens, quando de nouo venit, non vt præſit, ſed vt proſit.

Epiſt. 16. lib. 12. ad Abbatẽ montis Sinai. ¶ Nos ſub colore Eccleſ. regiminis mundi huius fluctibus voluimur: qui frequenter nos obruũt: ſed manu cæleſtis gratiæ ꝓtegente de profundo releuamur. Vos ergo qui in tanta quietis veſtræ ſerenitate tranquillam vitã ducitis: & ſecuri quaſi in litore ſtatis, nobis nauigantibus, aut potius naufragantib⁹, orationis manum tendite: & conantes ad terram viuentium pergere, quantis poteſtis precibus adiuuate.

¶ Epi-

¶ Episcopus puniens, debet assimilari patri carnali, qui filium flagellat, & tamen ei omnia bona sua seruat: & eum hæredem habere desiderat. His ergo quos affligimus, dulcedinẽ charitatis in mente seruare debemus. *Idem.*

¶ Et ad.7. interrogationem Augustini Episcopi Anglorum dicit, Sancta Ecclesia in hoc tẽpore quædam per feruorem corrigit, quædam per mansuetudinẽ tolerat, quædam per considerationem dissimulat: vt sæpè malum quod aduersatur, portando & dissimulando compescat. *Idem. Ex Regist. li. 12.*

¶ Quòd ad Episcopos pertineat illud, Videant opera vestra bona, vt glorificent patrem vestrũ qui in cælis est, &c. nota verba Gregorij. Qui iam humanæ laudis concupiscentiam calcare sufficit, peccat bona sua opera occultando: quia defraudat proximum à bono ędificationis, & assimilatur illi, qui iacto semine, agit ne germinet. Qui autẽ intentione diuinæ gloriæ ostendit opera sua, etiam ea quæ publicè facit, abscondit: quia cum soli Deo in hoc placere curet, solum ipsum in testem censetur habere. Qui autem in opere occulto quod facit, desiderat deprehendi & laudari ab hominib⁹, hic ĩ publico censetur fecisse opus suum: quia tot testes in bono opere secum duxit, quot humanas laudes quæsiuit. *Idem. Mat. 5.*

¶ Caueat pastor né alios iuuando, se deserat: *Greg.*

né

ne alios erigens, cadat: nam aliquibus magnitudo virtutis occasio perditionis fuit. nam virtus quando vitijs aliorum renititur, quadam delectatione animus sibimet blanditur: quo fit, vt iam metum suæ circunspectionis abijciat: & in quadam secura sui confidentia requiescat: cui iam torpenti seductor callidus omne quod bene gessit, enumerat: eamque quasi ceteris præpollentem, in tumore cogitationis exaltat, fitque fouea mentis, memoria virtutis, cui dicitur Ezechiel. 32. Quo pulchrior es, descende: & dormi cum incircuncisis. Et ibidem. Habens fiduciam in pulchritudine tua, fornicata es in nomine tuo, quęrendo, scilicet priuatam laudem, & gloriã singularem. Igitur bonus pastor, numquam aspiciat recta quæ agit: sed quæ agere negligit, semperque se se deorsum premat: vt dum cor ex memoria infirmitatis atteritur, apud humilitatis auctorẽ robustius in virtute solidetur.



Sequun

SEQVVNTVR QVAEDAM ex Diuo Bernardo ad Eugenium de consideratione.

Libro primo.



AXIME condoleo occupationibus tuis, si tamē doles & tu: quòd si non doles, tunc longé magis doleo: sciens longius á salute esse membrū quod obstupuit: & periculosius laborare, quòd se esse ægrum non sentit. Absit vt de te id suspicer, vtpoté assuetus delitijs dulcis quietis: ideo non potes dessueuisse tam cito, neque subito nō dolere subtractas: quoniam plaga recens, dolore non caret: non dum obcalluit vulnus, & versum est in insensibile. Scio quod non deest tibi materia iusti doloris a quotidianis iacturis, inuitus auelleris a tuæ Rachelis amplexibus: & quoties auelleris, toties renouatur dolor: nihil tamen plus metūo tibi quàm quo per consuetudinem ad hoc deuenias, vt iam non sentias dolorem, quoniā auelleris à Rachele, & īplicaris negotijs. Noli nimis credere affectui tuo qui nūc est: nihil tā fixum animo, quod neglectu tempore non obsolescat. Vulneri vetusto & neglecto callus obducit: & eo in sanabile, quo insensibile fit.

Deniq;

Denique dolor continuus & acerbus, diuturnus esse non potest: quia aut de remedio consolationem accipiet, aut de assiduitate stuporem. Quid non inuertat consuetudo: quid non assiduitate duretur? Primum importabile tibi videbitur onus negotiorum: processu temporis si assuescas, reputabis non adeo: paulo post leue senties: post, neque senties: paulo post, etiam delectabit: ita paulatim in cordis duritiam itur: & ex illa in auersionem. Vereor ne in medijs occupationibus (quoniam multæ sunt) dum diffidis finem, frontem dures: & ita sensim te ipsum priues sensu iusti vtilisque doloris. Itaque multo prudentius erit, quòd te subtrahas occupationibus saltem ad tempus, quā quòd patiaris trahi ab ipsis, & duci ad cor durum: quod semetipsum non exhorret, quia neq; sentit: quod compūctione & deuotione non scinditur, pietate non emollitur, &c. Nemo autem duri cordis salutem vmquam adeptus est: nisi quem miserans Dn̄s auferat abeo cor lapideum, & det ei cor carneum. Ad hoc te trahent maledictę istæ occupationes, si te totū dederis illis, nihil tibi relinquens. Volo esse tibi Iethro, ac dicere tibi, Stulto labore cōsumeris in tot occupationibus temporalibus: quæ non sunt nisi afflictio spiritus, euisceratio mentis, euacuatio gratiæ: nam fructus horū quid nisi aranearum telæ: de mane vsque ad vesperam

ram litigare, aut litigantes audire? Igitur si hęc deploras, emenda: neque te vmquam ad ista duraueris quolibet vsu vel assiduitate. Nolo quòd in hoc habeas patientiã, immo ĩpatientiã. Hebetati cordis inditium est, propriã non sentire continuam vexationem, ac seruitutem.

Itaque consulo tibi, non fias seruus hominum, nõ consumas totum tempus in audiendo leges Iustiniani, lites & cauillationes. dic, Narrauerunt mihi iniqui fabulationes: sed nõ vt lex tua. *ps. 118.* Tuum principale munus est, ædificare Ecclesiam, docere populos, meditari in lege Domini: quę sola est immaculata conuertens animas. *ps. 18.* Non dico quòd totum te subtrahas illis sæcularibus occupationibus: sed ꝙ non tradas te totum. si es homo omnium, omnibus omnia factus, esto etiam tui: alioquin quid tibi prodest, si vniuersos lucreris, & teipsum perdas? Habe igitur te, & si omnes veniunt ad bibendum de fonte tuo, bibe etiam & tu. tu solus sitiens permanebis? Qui sibi nequam, cui bonus? Itaque non totum te des actioni, neque semper: sed considerationi aliquid tui cordis, & tẽporis sequestra, vacans deo: quia & ibi præordinas quæ agenda sunt secundum Deum, ne præcipitanter fiant. ibi primo scrutaris, & ordinas effectus & actus tuos, demũ alienos. Itaque huic tam pio, quàm vtili otio nullam in vita operã

 dare,

dare, vitam perdere est. Imitare sanctum Gregorium, qui vltimā partem Ezechielis obscurissimā in otio exposuit, eo tempore quo Vrbs erat obsessa: & in summa tempestate negotiorum, vt ex eius præfatione liquet.

¶ Non te (ait) ingeras iudicare de terrenis possessiunculis hominum. etiam contemptibiliores qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad iudicandum, dicebat Apostolus. Illæ autem causæ grauiores quas ad te intrare necesse est, assuesce breuiter decidere: precidens frustatorias & venatorias dilationes: nihil enim ita absque labore manifestam facit veritatem, vt breuis & pura narratio.

1. cor. 6.

Causa viduæ intret ad te, causa pauperis, & eius qui non habet quod det.

¶ Multas causas etiam indignas audientia, iudica: vt illæ quæ præseferunt manifestam ambitionem. Si discipulus Christi es, ignescat zelus tuus, exurgat auctoritas tua contra generalem impudentiam ambitiosorum &c. Flagella eos cum Christo, nec aures eis præbeas: timeant te nummularij, nec fidant in nūmis, sed diffidant: abscondant æs suū a te scientes te paratiorē ad effundendū, quàm ad recipiendū.

¶ Quatuor ergo tibi (ait) cōsideranda suadeo, scilicet te, quæ sub te sunt, quæ circa te sunt, quæ supra te sunt. Primo nosce te: alioquin nihil tibi proderit scire mysteria omnia, si te ne scieris.

scieris. A te ergo incipiat cōsideratio tua: imo etiā in te semper finiatur. Quicquid se offerat, quod nō pertineat ad salutem tuam, mox respuendum. De te ergo considera quis, & qualis sis. Abiectus eras in domo dei, dictum est tibi, Amice ascende superius super gentes, vt probaret te, an amicus eius sis. Non certe eleuatus es ad dominandum, sed vt euellas, & destruas, & disperdas, & ædifices, & plantes. Nihil horum factum sonat, sed schemate quodam rusticani laboris, labor spiritualis expressus est. Sarculo tibi opus est, non sceptro. Absit quòd delitijs resoluaris, aut pōpis. Non blādiatur tibi cathedra excelsa: est enim specula, vnde omnia prospectes, vnde solicitudine vrgearis omnium Ecclesiarum, non auri & argenti, quæ in te abhominabilis erit: non vt domineris. Plane enim Apostolis, & tibi interdicitur dominatus, cum dicitur, Reges gentium dominantur eorū &c. vos autē non sic, &c. Et Apostolus probabat se plus ministrum, quia in laboribus plurimis, in carceribus abūdantibus, in plagis supra modū, in mortibus frequenter, &c. Nō licet tibi gloriari in cathedra: sed cum ipso Apostolo in cruce Dñi nostri Iesu Christi, Felix q dicere potuit, Plus omnib⁹ laboraui. Et si labor terret, merces inuitet. Exi ergo in agrum Domini tui, & vide quantis syluescat spinis & tribulis: accingere gladio

Luc. 22.

2. cor. 11.

Gal. 6.

tuo (quòd est verbum Dei, & auctoritas puniendi) fac vindictam in nationibus, increpationes in populis.

¶ Filius es Apostolorum & Prophetarum, esto fide & moribus, per quæ vicerunt, & operati sunt iustitiam. Valde tibi cōmendo humilitatem: nulla splendidior gemma in ornatu pontificis: quo enim ceteris excelsior, eo humilitate apparet illustrior. Itē, monstruosa res est, gradus summus, & animus infimus: sedes prima, & vita ima: sermo multus, fructus nullus, lingua magniloqua, manus otiosa: vultus grauis, & actus leuis: ingens auctoritas, & nutās stabilitas.

¶ Confer ergo tuā posteriora prioribus: si in pontificatu profecisti, in virtute, in sapientia, in intellectu, in suauitate morum, &c. an forte defeceris: si sis patiētior, an īpatientior solito: iracundior, an lenior: insolentior an humilior, affabilior, an austerior: exorabilior, an difficilior: pusillior animo, an magnanimior: serius magis, an plusculum dissolutus: timoratior, an forte fidentior quàm oportet, &c. Oportet etiam quòd innotescat tibi zelus tuus, clemētia tua, discretio quoque moderatrix earumdem virtutum: qualis sis in donandis iniurijs, qualis in vlciscendis: quàm in vtroque prouidus obseruator modi, loci temporis. nam hæc tria sunt consideranda in vsu virtutū harū: ne

non

non ſint virtutes, ſi præter hec reperiantur: nam caligante oculo diſcretionis, vna pręcipit locum alterius, ſeu occupat terminos. Procedit autem hæc caligo, vel ex ira præcipitantę, vel ex molliori affectu cenſuram iudicij eneruante. Oculus ira turbatus, nihil intuetur cleméter, ſuffuſus autem quadam fluxa, & muliębri mollitie animus, rectum non videt. Non eris innocens, ſi punias eum cui forte parcendum eſſet: aut parcas ei, qui fuerat puniẽdus.

Examina etiã qualem te in tribulationibus inuenis, ſi conſtantem in tuis, ſi condolentem in alienis. Peruerſiſſimi cordis eris, ſi in tuis inueniaris impatiens, & in alienis imcompatiens. Item ſi in proſperis, vel modice animum relaxas a ſui cuſtodia & diſciplina, quod pauci vitant, Nam in incautis, proſperitas ſe habet ad diſciplinam, ſicut ignis ad ceram, & radius ſolis ad glaciem: & facilius inueniuntur, qui in aduerſitate retinuerunt ſapientiam, quàm qui in proſperitate non perdiderint. Magnus ille eſt cui inter proſpera ſaltem riſus indecentior, aut ſermo inſolentior, aut immoderatior cura corporis, vel veſtis, non irrepſit. Nugæ ſint longe ab ore tuo. nam inter ſæculares nugæ, nugę ſunt: in ore ſacerdotis, blaſphemiæ: interdum ſi incidant, ferendæ fortaſſis, referendę nũquã: immo magis interueniendum caute, & prudenter nugacitati. & prorumpendum

dum in aliquid ſerium: quod vtiliter & libenter audiatur, & ſuperſedeatur otioſis. Conſecraſti os tuum Euágelio, talibus iam illud aperire, illicitum; aſſueſcere, ſacrilegum eſt. Verbũ ſcurrile, quod faceti vrbãiue nomine colorãt, non ſufficit perigrinari ab ore, procul etiã ab aure relegandum: Fæde ad cachinos moueris, fædius moues: detrahere autem, aut detrahẽtem audire, quod horum damnabilius ſit, non facile dixerim. De auaritia non loquor: quia pecuniam, quaſi paleam dicaris habere.

QVOMODO PRÆLATVS ERGA *ſubditos ſe gerere debeat, ex eodem Bernardo ad Eugeniũ De conſiderat.*

Bern. ad Eug. li. 3.



DMONET eundem Eugenium Bernardus, vt opprimat oppreſſores, vt puniat acriter iniuſte appellantes, ſcilicet quia appellant ad ſedem Apoſtolicam, non quia grauantur, ſed vt grauent: Et vt talibus non ſolum non proſit appellatio, ſed etiam obſit: hoc eſt propter hoc grauiter puniantur. Multa ibi inuenies de malis, quæ ſequuntur ex friuolis appellationibus, lib. 3. Vehementer etiam ibi inuehitur contra ſummũ Pontificem, qui eximit ſubditos a iuriſdictione ſuorum prælatorum, & eos ſibi facit immediatos.

¶ Ibidem, Quid peius impunitate vitiorum? Impuni-

Impunitas, filia est incuriæ, mater insolentiæ, radix impudentiæ: nutrix transgresionum.

¶ 4. liber exponit, quomodo se debeat gerere erga domesticos & romanos. Si dicis, romani proterui & durissimi sunt, attende (ait) fac ꝙ tuũ est: nõ dicitur tibi, sana illũ, sed curã illius habe. Et Apostolus non dixit, Plus ominbus fructificaui: sed plus omnibus laboraui, &c. Ibi.lib.4. 1.cor.15.

¶ Vides (ait) omnem ecclesiasticum zelũ ferue re pro sola dignitate tuenda: honori totum da tur, sanctitati nihil: aut parum. Si causa interueniente submissius agere, ac socialius te habe re tentaueris, absit (inquiunt) non decet: tem pori non congruit, maiestati non conuenit, quam geras personã attendito. De placito Dei vltima mentio est: pro iactura salutis nulla cũ ctatio: solum quod sublime est, hoc salutare di cunt: & quod gloriam redolet, id iustum. Omne humile probro ducitur, vt facilius inuenias qui velit esse humilis, quàm qui velit apparere. Et tamẽ illi veri antiqui pastores, qui se totos pascendis ouibus exponebãt, nihil se ipsis reputabant indignum, nisi quòd saluti ouium obuiare putarent: non quærentes quæ sua sunt, sed impendentes sua & se ipsos pro animabus. Vnde Apostolis ait, Ego autem libentissime impendar, & superimpendar ipse pro animabus vestris: Vnica eorum pompa, voluptas, quæstus erat, parare Domino plebem Ibi.lib.8. 2. cor.10

perfectã. Immo omnibus modis satagebant in multa contritione cordis & corporis, in labore & ærumna, in fame & siti, i frigore & nuditate, &c. Hæc consueta fuerunt: nunc vero dissueta. Sed vide, Nunc perseuerat eadem cura, solicitudo, anxietas, æmulatio: sed non tamen ad salutem animarum, sed ad alia commoda nostra. Igitur non erubescas Euangeliũ, opus fac Euangelistæ; manifesta illis veritatẽ. Si dicis, Irrident me euangalizantem: ideo tu magis insiste opportune, importune, clama, ne cesses, si forte audiant, & quiescant. Et pondera quòd ad sceleratos præcipit clamare. Fateor populum istum vsq; adhuc dura fronte, & indomito corde: sed vtrum indomabili, nescio vnde liquido scire possis. Potest fore qđ nec dum fuit. Si tu quidem diffidis, sed apud Deum non erit impossibile omne verbum: Si dura fronte sunt, durato & tu econtra tuam; nihil tam durum quod duriori non cedat. Dominus ad Prophetam dicit, Dedi frontem tuã duriorem frontibus eorũ. Explesti partes tuas, si agis cum populo tno, vt dicere possis, Popule meus, quid tibi debui facere, & non feci? Si sic fecisti, neque profecisti; exi de Hur Chaldæorũ & valde, euãgeliza alijs ciuitatib⁹.

Ezec. 3. *Mich. 6.* *Zac. 4.*

Ber. Eugenio cõsid, lib. 4. ¶ Circa familiares vero valde illi commendat, vt sint boni viri. Neque (ait) te dixeris bonum malis innitentẽ: aut si bonus sis, bonitas

tui

tui ſolius, quem fructum habere poteſt?
¶ Circa diſtributionem officiorũ & beneficiorum, tibi (ait) imputa quicquid pateris abeo, qui ſine te poteſt facere nihil. In eligẽdis his, abſit quòd attendas ad preces: conſilio, non prece hic agendum. Sunt quæ neceſſario a nobis rogantium aut extorquet importunitas, aut neceſſitas meretur; at iſtud in his quæ noſtra ſunt. Vbi autem non licet quod volo facere, quis locus roganti? Itaque pro quo rogaris, ſit tibi ſuſpectus: qui vero pro ſe rogat, iam iudicatus eſt. Neque intereſt per ſe, an per alium quis roget. Adulantem, & ad placitum cuiuſque loquentem, vnum de rogantibus puta. Si ad talium blanditias cor tuum emoliri ſenſeris, memineris ſcriptum, Omnis homo primũ bonum vinum ponit, ſed cum inebriati fuerint, tunc id quod deterius eſt. Viri callidi & doloſi proprium eſſe ſolet, tunc prætendere humilitatem, cum aliquid obtinere voluerit. De quo ſcriptum eſt, Eſt qui nequiter ſe humiliat. Verboſulum adoleſcentem, & ſtudentem eloquentiæ, cum ſapientiæ ſit inanis, non aliud quàm hoſtem iuſtitiæ reputes. Pro his dicitur tibi, Manus cito nemini impoſueris. Tales elige, quos poſtmodum elegiſſe nõ pœniteat, quia turpe eſt tibi ſæpe retractare qđ feceris; & iudicium tuum frequẽter periclitari non decet. Quæ facere debes, prius diligen-
Ibidem.
Io. 2.
Ecc. 19.
1. Tim. 5.

ter tracta apud te, & cũ his qui te diligunt, iuxta illud, Ecclesi. 32. Omnia fac cum consilio; & post factum nõ pœnitebis: Elige viros probatos, nõ probandos: quia in curia potius deficiunt boni, quã meliorẽtur mali. Assume ergo potius cunctantes, & renuentes, quàm volentes, & currentes. Cõpelle illos intrare, qui præter dominum timeant nihil, nihil sperent, nisi a Domino: in cũctis bene morati, qui sint in consilio prouidi, in iubendo discreti, in disponendo industrii, in agendo strenui, in loquẽdo modesti, in aduersitate securi, in prosperitate deuoti, in zelo sobrii, in misericordia non remissi, in otio non otiosi, in conuiuio non effusi, in cura rei familiaris non anxii: qui quod verecundè excusant, obstinatius nõ recusent: qui vulgus non spernant, sed doceant: diuites non palpent, sed terreant: pauperes non grauent, sed foueant, &c. qui orandi offitium gerant: & in omni re plus fidant orationi, quàm suæ industriæ vel labori: qui se amabiles præbeant, non verbo sed opere: se reuerendos exhibeant, sed actu, non fastu: qui humiles cum humilibus, duros dure arguant, malignantes coerceant, reddant retributionẽ superbis: qui non de dote viduæ, & patrimonio crucifixi, se vel suos ditare festinent. qui si mittantur a te cũ legatione ad alia regna, non afferant pretiosa terrarum: sed relinquãt pacem regnis, quietem

tem monasterijs, Ecclesijs ordinem, clericis disciplinã, &c. Subditque ibidẽ pulcherrima quorundã legatorum exempla, qui redierunt pauperes, neque munera accipere voluerunt.

¶ Insuper diligenter guberna domũ tuã, nam vt dicit Apostolus, Si quis domui suæ præesse nescit, quomodo ecclesiæ dei diligentiã habebit? Non quo minimis domus tuæ intẽdas, cũ sis occupatus maximis. Nullo ergo modo implices animũ curis rei familiaris ac rerũ tuarũ, cùm oporteat te habere animum liberũ, quem nulla sibi vendicet violenta occupatio: nobilẽ quem nulla deorsum trahat indigna affectio: firmũ, quem nulla concutiat repentina turbatio: inuictũ, quem nulla fatiget etiam cõtinua tribulatio: amplũ, quem nulla coarctet rei temporalis amissio. & hæc habere non poteris, si diuiseris animũ: & partem dederis rebus Dei, partem reculis tuis. Aliũ ergo pone, qui pro te molat: & solus implicet. Nam quædã per te sólũ agere debes, quædã per te simul & per alios, quædã per alios tantũ, & in hoc postremo loco, sunt curæ tuarũ rerũ tẽporaliũ. præfice ijs fidelẽ serũũ, q̃ nõ fraudet, & prudentẽ, q nõ fraudet, & da illi auctoritatẽ & facultatẽ ꝑ libito agẽdi, cui omnes obediant, & nemo illi dicere possit, Cur sic fecisti? Clandestinas, & susurratas delationes non accipias aduersus eum: magis detractiones censeas. Et hanc velim

Idem Ad Eugen. de consider. lib. 4.

1. Tim. 3.

generalem tibi regulam constituas, vt omnem qui palam veretur dicere, quod in aure loquutus est, suspectum habeas: quod si corã dicere noluerit, vt tu iudices, delatorem crede, nõ accusatorẽ. Igitur tu illi ꝓposito habeas fidem, vt tu tibi vacare possis, & ecclesiæ dei.

Si dicis non inuenio fidelem, vel prudentem cui sic plene fidam: consulo quòd potius sustineas minus fidelem, quàm quod te immergas labyrintho huic: Iudas enim fuit œconomus Saluatoris.

Idem. Ibidem. ¶ Idem ibidem, sacerdotes domestici tui, nisi honestiores ceteris sint, in fabula oĩbus sunt. Igitur in vultu, in habitu, in incessu illorum, qui circa te sunt, nihil residere impudicum, nihil indecens patiaris. Et meměto quod dicit Sapiens, Filiæ tibi sunt, noli faciem hilarem ad eas ostendere. Non tamen suadeo tibi austeritatẽ, sed grauitatem, quia illa fugat infirmiores, hæc vero reprimit leuiores: illa quidem si adsit, facit odibilem, hæc si desit, facit contemptibilem: in omnibus tamen modus melior. Ego, nec seuerius velim, neque dissolutius. Quid hac mediocritate gratius? vt non de seueritate sis oneri, neque de familiaritate contemptui? Ad hoc semper est necessaria custodia oris: quæ tamen affabilitatis gratiam nõ excludat. Vbique ergo frenanda lingua præceps: pręsertim in conuiuio. Igitur actu sis seuerus,

uetus, vultu serenus, verbo serius, ament te domestici tui: si non, fac vt timeant. Prouide capellanis in necessarijs: vide ne egeant.

¶ Tales studeto habere familiares, qui si velles aliquatenus deuiare, non finerent, frenarent præcipitem, dormitantem excitarent, quorum libertas excedentem corrigeret, extollentem reprimeret: quorum constantia & fortitudo nutantem firmaret, erigeret diffidentem: quorum sanctitas, ad omnia te bona incitaret. *Idem. De consi-derat. lib.* 4.


¶ In fine huius. 4. libri docet quomodo se habere debeat cum potentibus iniquis, Quando (ait) malitiæ iuncta est potentia, aliquid tibi super hominem præsumendum est. Vultus tuus super facientes mala. timeat spiritum iræ tuæ, qui hominem non veretur, timeant orationem tuam, qui admonitionem contempsit: cui irasceris tu, Deum sibi iratum, non hominem, putet. *Idem.*

¶ Familiares tui (si non sunt spirituales) non diligunt te, sed tua, immo nec te, nec tua, sed quæ sua sunt quærunt: & ea venantur adulationibus, & cetera.



Collecta

COLLECTA EX EPISTOLIS *Bernardi, & alijs eiusdem operibus.*



I rebus raritas pretium facit, nihil in Ecclesia pretiosius, nihil optabilius bono vtilique pastore: nempe rara auis est ista, quem propriç cura animæ non impedit a solicitudine commissarum, aut retardat, qui nõ quærit quæ sua sunt, neq; quod sibi vtile est, sed qđ multis.

Ber. Ser. 10. super Cant. ¶ Quòd si talis ad regimen animarum assumitur, qui se neque ad congaudendum sentit ꝓnum, neque promptum ad condolendũ, talis quidem alijs non prodest, sibi obest plurimũ, pascat autem gregẽ exemplo ædificationis, verbo prędicationis, fructu orationis: habeat tria, scilicet bonitatẽ, disciplinã, & scientiã. Prima dat exemplũ, secunda corripit, tertia instituit. ¶ Eget pastor eruditione, sed multo magis vnctione, quæ sola docet de omnibꝰ. Eget vigore & feruore: vigore quidem, ne cedat tribulationi, sed pro iustitia persecutionẽ viriliter sustineat, feruore autem, vt nullis capiatur voluptatibus, nullis illecebris eneruetur, iam non sibi viuere studens, sed ei qui pro eo mortuus est. Cum infirmantibus infirmetur, vratur cũ scãdalizatis, fiat etiã (si oportet) iudæis iudæus, cum Iob, sit frater draconũ, & socius struthionum: nõ timeat ꝓ fratribus cũ Moyse deleri de

lib.

lib. vitæ, & cũ Paulo anathema esse a Christo.
¶ Idẽ. censura numquã remissa, intermissa tamen plerumq; plus ꝓficit. Vigor iustitię sẽpꝑ feruidus, sed nũquã præceps, nõ.n. omne qđ licet, statim expedit. Aestuet zelo charitas, alioqui improbe præest, qui non prodest. Fidelis (ait Dñs) seruus, quẽ constituit Dñs sup fami- *Mat. 24.* liã suam, vt det illis cibũ in tempore. Vide (ait idẽ) quia cõstitutus es non ad imperandũ, sed ad dispẽsandũ. ¶ Et serm. 58. super Canti, Acceptatio prælaturę procedere debet ex quadã intima stimulatione solicitãte nos, æmulari fraternam salutem, æmulari decorem domus Domini, incrementa lucrorum eius, incrementa frugum iustitiæ eius, laudem & gloriam eius, vt euellat & destruat, ædificet, & plantet.
¶ Tu aũt frater, qua nã dementia aliena curare, *Idẽ super* aut ambis, aut acquiescis, cui adhuc nulla aut *Can. Ser.* tãtilla charitas, vt feruore liquescas, pauore de- *18.* ficias, perturberis tristitia, auaritia cõtraharis, protraharis ambitione, conuitijs exagiteris, curis euisceteris, honorib⁹ tumeas, &c. Demũ (ait) periculosissime promouetur, qui non dũ adeptus est plenã charitatẽ, etiam si alijs virtutib⁹ pollere videatẽ, etiã si habuerit omnẽ sciẽtiã, & dederit omnẽ substãtiã suã paupib⁹, &c.
¶ Idem (in Epist. 42. ad Henric, Epm Senonẽ.) *Idem.* fingit carnali pastori oues. i. populũ dicentẽ, Si instar mei ꝗ ouis sum, pastor meus etiã curuus graditur,

ditur, vultum gerens deorsum, & terram semper respiciens, & soli ventri mente ieiunus, pabula quæritans, in quo discernimur? Si venerit lupus, quis prouidebit & ocurret? Quid indecentius, quàm quòd pastor more pecorū sensibus incubet corporis, hæreat infimis, inhiet terrenis, & non erectus stet vt homo, suspiciens cælestia, quæ sursum sunt quærens & sapiens, non quæ super terram?

Idem. Ibidem. ¶ Dic mihi sacerdos, qui amas pretiosum habitum, quæris placere Deo an mundo? Non quidem deo: Si vero mundo, cur ergo sacerdos? Nam si deo non places, neque illum placas: si non placas, cur sacerdos?

Idem. ¶ Væ (ait idem) ministris infidelibus, qui nec dum reconciliati, negotia recōciliationis alienæ aprehendunt: quasi homines qui iustitiam fecerint. Væ filijs iræ, qui se ministros gratiæ profitentur. Væ qui nihil habet de spiritu mansuetudinis: quo præoccupatos in aliquo delicto possint instituere, considerantes seipsos, ne & ipsi tententur. Procul ab eis viscera misericordiæ sæuire potius, & tyrannos se exhibere lætantur, quæstum æstimant pietatē: transitoria damna valde timent, quia temporalia lucra sectantur. nolunt sustinere persequutionem propter iustitiam: quoniam magis terrenam mercedem quærunt, quàm iustitiam.

Idem Ad epist. lendonie. ¶ Idem Epistola. 24. Curritur ad Ecclesiasticas

curas: tamquam sine curis iam quisq; victurus sit, cum ad curas peruenerit. Et qui nondum has curas experti sunt, videntes alios qui iam humeros submiserunt huic sarcinæ, non solum nō gemere tamquàm sub onere, sed insuper appetere plus onerari: non deterrentur periculis, quæ cupiditate cæcati, nō vidēt. Quę ista insania est? Vbi timor Dei? vbi mortis memoria? vbi gehennæ metus? & terribilis expectatio illa iudicij? Quo ascendis miser? Vt ab altiori gradu sit casus grauior? neq; enim paulatim decides, sed tamquàm fulgur in impetu vehementi (quasi alter Sathanas) subito deijcieris. Non cum tanta alacritate currerent ad honores, si esse sentirent & onera: grauari profecto metuerent; nec cum tanto labore & periculo dignitates affectarent: affectant autem; quia sola attenditur gloria, non pœna. Væ tibi Episcope, quia peccata populi comedis: ac si propria tibi minus sufficere viderentur. Dic mihi, quantum desudas vt gemitibus, orationibus, pœnitētia, prædicatione, &c. diluas peccata illorum, quorum bona comedis? Venies miser ante tribunal Christi, & audietur grauis querela populorum, accusatio dura eorū quorū vixere stipendijs, neq; diluere peccata: quibus facti sunt duces cæci, & fraudulēti mediatores. Quid tibi insipiens delitiæ sapiūt, quid diuitiæ illæ oblectāt oculos, quibus mercaris

tam graue iudicium? tam duræ temetipsum obligans rationi? Vniuersa quidem vsq; ad quadrantē nouissimū exigeris. Nō licet tibi de facultatibus ecclesiæ luxuriari; & in superfluitatibus cōsumere: sed solū viuere. nō licet ditari, nō licet cōsanguineos extollere, nō licet palatia ædificare. Deniq; quidquid præter necessariū victum, ac simplicē vestitum de altario retines, tuum non est, rapina est, sacrilegium est.

¶ Idem, Res pauperum non pauperibus dare, par sacrilegij crimen esse dignoscitur: nam patrimonia sunt pauperū facultates ecclesiarū: & sacrilega eis crudelitate surripitur, qdquid ministri, & dispensatores vltra victū accipiūt, & vestitū. Neq; enim ordinauit deus his, qui euangelio seruiunt, de euangelio quærere diuitias, vel ornatum: sed viuere ex eo, vt scilicet sint contenti alimenta corporis, non gulæ irritamenta: & quibus tegantur, non quibus or-

Mat. 19. nentur, accipere. Quis (ait) rapuit ab ore Apostolorum hoc verbum gratiæ & fiduciæ, Ecce nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te? Ecce. n. vt populus, sic sacerdos; similiter volūt diuites fieri: immo abūdātius hāc quærūt cōsolationē: similiter amici egēt, vt ī aliena tabernacula recipiātur, vtpote propria nō habētes.

¶ Cōtra episcopos immemores sui officij pulchre agit Bern. super cant. sermo. 10. & 33. & 77. & in serm. conuersionis s. Pauli, & in

epistola.42.ad Henric.episcopum.

¶ Idē Epistola.201. Narrat hic, quomodo quidam Abbas conditione timidus & verecūdus, excusabat se a prædicādo & gubernando; allegans suam indignitatem, &c. cui ille inter cetera dicit, Neq; sterilis verecundia grata est, neq; humilitas præter veritatē laudabilis: officium tuum attende; pelle pudorem considerationc officij. Sed non sum (inquis) ad ista sufficiens; quasi vero deuotio accepta non sit ex eo quod habes, non ex eo quod non habes? De solo tibi credito talento respondere tibi para, securus de reliquo: si multum accepisti, da multum: quod si modicum est, & id tribue. Etenim qui in modico fidelis non est, neq; in maximo. totum da, quia totum repetēdum est, vsq; ad nouissimum quadrātem: sed sané quod habes, non quod non habes. *Ber. Epi. ad Balduinum abb.*

¶ Bern. epistola. 236. ad Cardinales, quia elegerant in papam, abbatem filium suum Eugenium, inter cetera, sic dicit, Potuit contingere ꝙ de beneplacito Domini fieret hęc electio; sed nō sum securus: quoniā fili⁹ delicat⁹ est, & tenera verecūdia eius; assueta poti⁹ otio & quieti, quā tractādis quę foris sunt: timendūq;, ne nō ea auctoritate qua oportuerit, sui apostolatus officia exequatᷣ. Quid putatis gerere animi, nūc hominē illū, qui de secreto internæ cōtemplationis & amica solitudine cordis (tamquā *Idem.*

infans è gremio & ſinu matris) ſubito perturbatus, tractum ſe ad medium videt; & quaſi ouem ad victimam ductum, ad tam inſueta & inſuauia, niſi Dominus ſupponat manum ſuam? Heu neceſſe eſt obruatur, & opprimatur onere inſueto & nimio, formidabili gigantinis, & angelicis humeris.

Idē. Bēr. ¶ Ad eundem Eugenium Epiſtola. 237. inter cetera ſic dicit, Alioquin per quem alium hęc tam debita libertas (loquitur de libertate ſpiritus, quę debet fulgere in paſtore) ſperabitur, ſi & tu (quod abſit) in Chriſti hæreditatē quæras, quæ tua ſunt: qui iam & ante didiceras non dico tua non retinere, ſed nec tuus eſſe? Ergo fiduciam talem habens in te, qualē in nullo prædeceſſorum tuorum, a multis retro temporibus viſa eſt habuiſſe omnis Eccleſia ſanctorū, ideo exultat in te &c. Et ego exultaui fateor, ſed cum tremore exultaui: ſed in ipſo exultationis meæ articulo, timor & tremor venerunt ſuper me. Conſidero gradum, & caſum vereor; conſidero faſtigium dignitatis; intueor faciem abyſſi iacentis deorſum; attendo celſitudinem honoris, & é vicino periculum reformido, pro eo quòd ſcriptum eſt,

pſ. 48. Homo cū in honore eſſet, non intellexit: quia ſcilicet honor abſorbuit intellectū. Altiorem ſortitus es locum, ſed non tutiorem: terribilis prorſus, terribilis eſt loc⁹ iſte: terra in qua ſtas,

terra

terra sancta est: vbi sedit Petrus egregius magister; qui docuit terrena calcare, qui excussit manus suas ab omni munere, qui dicebat de corde puro, & conscientia bona, Argentum & aurum non est mihi. Et post aliqua; Quis mihi det antequã moriar videre ecclesiã Dei, sicut in diebus antiquis; quando Apostoli laxabant in capturam, nõ in capturam argenti vel auri; sed in capturam animarũ? Quàm cupio illius te hereditare vocẽ, cuius adeptus es sedẽ, Pecunia tua tecum sit in perditionem? O vox tonitrui, o vox magnificentiæ & virtutis: ad cuius terrorẽ confundantur, & conuertãtur retrorsum, omnes qui oderunt Syon. Hoc desiderant, hoc suspirant omnes pij, vt omnis plãtatio quam nõ plãtauit Pater cælestis eradicet. Adhoc cõstitutus es super gentes, & regna: vt euellas, & destruas, & ædifices, & plantes. Audita electione tua multi dixerunt, iã securis ad radicem arborũ posita est: confortare igitur, & esto robustus: manus tuæ in ceruicibus inimicorũ tuorũ. Vendica igitur tibi animi cõstantiã, & vigorẽ; quia hęc est pars quã Deus dedit tibi extra fratres tuos; q̃ tulit demanu Amorręi &c. *Act.* 3. *Act.* 8.

¶ Et ad eundẽ Epistola. 239. quia quędã opera iustitiæ strenue exercuerat; deponendo indignos; cõgaudens illi, animat ad similia, dicẽs, Siquidẽ in ruinam, & resurrectionem multorum ascendistis hanc cathedram: ruant ruant *Idem.*

qui noxie stant; erigantur digni, ponatur securis ad radicem sterilium plantationum: præsidente humili Eugenio, deponantur superbi de sede; & exaltentur humiles: esurientes impleantur bonis, & diuites dimittantur inanes.

Idem. ¶ Idem Serm. super Cant. deplorat, quòd postquàm factus est abbas, nō potest diligenter custodire vineā propriam .i. animam suam. Væ mihi (ait) a periculo animæ meæ, quoniam vineis alienis intentus, minus circa vineam meā diligens, minusq; solicitus fieri cogor: nec sepem circūdare, nec torcular fodere in ea licet. Heu, destructa est maceria eius: & vindemiant eam omnes, qui prætergrediūtur viā: patet exposita tristitiæ, iracūdiæ, atq; impatientiæ peruia. Demoliuntur eā sedulæ quædā vulpeculæ, instantiū necessitatū; irrumpūt vndiq; anxietates, suspitiones, solicitudines, turbæ discordantiū, causarū molestiæ rara hora desunt: nō est prohibēdi facultas, nō copia declinādi: sed nec orādi spatiū. Quo imbre lachrymarū pfundere sufficiā sterilitatē animę meæ? Omnes palmites eius aruerūt prę inopia; iacent sine fructu: eo ꝙ non habeāt humorē. Iesu bone, quot fasciculos sarmentorū ex eis, in tuo quotidie sacrificio vstio cōtriti cordis mei, te teste absumit?

Idem. ¶ Contra eos qui se ingerunt prælaturis, dicit in eodem sermone, Miror audaciam plurimorū; quos videmus de suis vineis non colligere; nisi

nisi spinas & tribulos: vineis tamen dominicis, etiam se ingerere non vereri: fures sunt & latrones; non custodes nec cultores.

¶ Idem Ser.42. super Cant. egregie probat, ꝙ quando pastor arguit, & monet omni deligentia peccatorem, tamen ille non proficit, nō debet cōsolationem accipere, quasi iam perfecerit officium suum: sicut neq; mater consolatur videns filium suum morientem; quamuis in eius curatione fuerit diligētissima: quia intētio prælati nō debet esse, seruare propriā animā, sed animas filiorū; quas vbi nō viderit incolumes, nō debet admittere consolationem.

¶ Lege serm. 52. super Cant. vbi arguit prȩlatos qui non possunt ferre, nisi optimos subditos. In quibus (ait) probabis tuam patientiam, si omnes inquietos excluseris? quibus adhibebis diligentiam disciplinæ, si omnes indisciplinatos vel effugaueris, vel fugeris? Idē. Ber.

¶ Idē serm. 57. super Cant. sic dicit, Hoc habet vera, & casta contemplatio, ꝙ mentem quam diuino igne vehementer succenderit, tāto interdum repleat zelo, & desiderio acquirendi deo, qui eum similiter diligant, vt otium contemplationis pro studio cōtemplationis, libentissime intermittat. Et rursum potita votis aliquatenus in hac parte, tanto ardentius redeat in idipsum, quāto fructuosius intermisisse meminerit. Et item sumpto contemplationis

gustu, valētius ad conquirēda lucra, solita alacritate recurrat. Ceterum inter has vicissitudines plerumq; mens fluctuat, metuēs & vehementer exæstuans, nè fortè alterū horū (dū suis affectionibus hinc inde distrahitur) plus iusto inhæreat: & sic in vtrolibet, vel ad modicum a diuina deuiet voluntatē. Aestuat ergo grauiter vir sanctus inter quietem cōtemplationis, & fructum operis seu prædicationis: & semper gemit, vel de perturbata quiete ob actionē: vel de neglecta fructuosa actione, ob quietem contemplationis: semper de his pœnitentiam agens: & singulis momētis cum gemitu, Domini inquirens voluntatē. Nam vnicum in huiusmodi remediū seu refugiū oratio est, & frequens gemitus ad Deum: vt quid, quando, quatenus nos facere conueniat, demonstrare

Cant. 2. assidue velit. Ideo talis anima tribus titulis a sponso donatur: Appellatur enim Amica mea (quia intendit lucris sponsi prædicādo, & operando) Formosa mea, ob fulgorem contemplationis: Columba mea, quia iugiter gemit timēs in singulis displicere sponso. Igitur (inqt) perfectus eris, si hæc tria habueris: si pro te gemas: si proximo vtiliter subuenias: si in diuina contemplatione exultes. Huic ergo dicit

Can. 2. spōsus, Surge amica mea (scilicet a somno cōtēplationis, quē in sinu meo gustasti) & veni ad quæstum & lucra animarum. Iam .n. hyems tran-

transijt, &c. id est iam cessarunt impedimenta, & est iam tempus commodum prædicãdi. De hoc vide ibi serm. 58. vbi dicit, quòd quoties illum qui tenetur prædicare ex officio, stimulat conscientia ad quærenda lucra animarum, toties intelligat adesse sponsum inuitantem eum ad putationem & cultum vinearum, id est animarũ seu Ecclesiarũ: vt euellat, & destruat, ædificet, & plantet, arguat, obsecret, increpet. Adolescẽtulæ (de quibus in Cant.) sunt animę infirmæ, quarum non est numerus, quarũ gerit curam sponsa (id est anima sancti pastoris) propter sponsum: tamquam magister & mater, & semper cum illis est, quoties cũ sponso non est. *D. Ber.* *cap. 6.*

¶ Idem Bern. Ser. 76. super Can. & Ser. 77. dicit, quòd qui dimittit oues sine custode, non est pastor ouium, sed luporum.

¶ Idẽ Ser. 85. super Cant. spirituales matres .i. sancti pastores habẽt duo genera pariendi, ex quib9 accipiũt diuersas soboles: videlicet prędicãdo pariunt animas: & meditãdo pariũt spirituales intelligentias. Et in hoc secũdo generę interdũ exceditur, & seceditur etiã a corporeis sensibus, vt sese non sentiat, quæ verbũ sensit. Hoc fit cum mens ineffabili verbi illecta dulcedine, quodammodo se sibi furatur; immo rapitur, atque elabitur a seipsa, vt verbo fruatur. Aliter sanè afficitur mens fructificans verbo, aliter fruẽs verbo: illic solicitat necessitas

proximi,

proximi, hic inuitat suauitas verbi. Et quidem læta in prole mater, sed in amplexibus sponsi lætior; chara pignora filiorum, sed oscula plus delectant. Bonum est salutare multos: accedere autem & cum verbo esse, multo iucundius. At quando hoc? aut quamdiu hoc? dulce cōmertium, sed breue momentum, & experimentum rarum. Quæris ò curiose, quid sit hoc verbo frui? quære ab experto: aut si mihi experiri daretur, putas me posse eloqui qđ ineffabile est? Para ergo verbo non aurem, sed mentem: non docet hoc lingua, sed gratia.

Benar. ¶ In Epi. 271. ad comitem Theobal. habes regulam ad multa: nam hic omnes magna amicitia magnisq; collatis beneficijs toto ordini, valde sibi Bern. deuinxerat: pro quo etiam & pulchra scripserat Pontifici summo. Accidit ergo, quòd comes hic rogarat Bernardū, vt vellet intercedere apud Pon. quo filius suus non dū adultus, dignitatem quandam ecclesiasticā adipisceretur: Ad quod respondit Bern. negās omnino ei auxiliū in hac parte: quia (inquit) proculdubio offendo deū, si facio qđ requiritis: quē si offendo, nō est cur me diligatis? cū solū propter Deū me tātillū tāt⁹ princeps diligatis.

Idem ¶ Ibi etiam dicit, quòd nulli adulto licet habere plures honores, aut dignitates in plurib⁹ ecclesijs, nisi dispēsatoriè, videlicet ob magnā vel ecclesiæ necessitatem, vel personæ vtilitatem.

Et

Et concludit epistolam dicens, vbi vero emerserit quod secūdum Deum habere possit, probabo me amicum: & operam meam si opus fuerit, non negabo.
¶Idem in Epistola. 176. ad Eugenium, consulit ei, vt irritet testamentum (etiam nō seruato ordine juris) quod quidam episcopus vir bonus fecerat: in quo relinquebat ea, quæ habebat cuidā nepoti, instigante ad hoc maligno quodam, cum episcopus esset turbatus, aut stupidus. Et ne opponat quis, quòd oporteat in hoc pcedere ordine juris, respōdet, Ordinatissimū est, minus interdū ordinate aliquid fieri: nā qui sane sapiunt, claues vestras alterā in discretione, alteram in potestate constituunt.
¶Idem in Epist. 2. Bona mater charitas in pastore, cum arguit, mitis est: cum blanditur, simplex est: pie solet sæuire, sine dolo mulcere, patienter irasci, humiliter indignari. *In princ.*
¶Idem in Epistola. 24. ad magistrum Gilbertū episcopum Londonien. qui omnia sua dispersenat, & pauperibus erogauerat. Sermo (ait) quem audiuimus, magnū dedit suauitatis odorem. Extincta est auaritia, cui non suaue redoleat, charitas regnat, cui dulce non sapiat? Tali testimonio oportebat tuam philosophiā clarescere, & hoc fine tua præclara studia compleri. Nō fuit magnū, quòd magister Gilbertus fieret episcopus: sed episcopū londoniensem

pauperem viuere, id planè magnificũ: nõ enim tanto nomini aliquid augere potuit sublimitas dignitatis; auxit autem plurimum humilitas paupertatis. Dispersisti pecuniam: quid est pecunia ad iustitiam? quam pro ea commutasti? Iustitia (inquit) eius manet in sæculum
ps. 111. sæculi. Num ita pecunia? Igitur laudabile principium, condignum consequatur finem: & cauda hostiæ, capiti coniungatur.

¶ Idem Epistola. 25. ad Archiepiscopũ Rothomagen. qui fuerat assumptus ex ordine Cluniacen. Benigne (ait) si nõ dissimules, egit tecum superna misericordia: prouida namq; dispensatione nõ prius prefectus es malis, quàm sociatus bonis; quorum cõsortio & exemplo fieres bonus: vt sic postea etiam inter malos, viuere bonus posses: quod est tantæ virtutis, quantæ est difficultatis: tangere picem, & non
ps. 119. inquinari ab ea. Ideo Dauid dicebat, Habitaui cum habitantibus Cedar: non dixit, Habitaui in Cedar; quia quamuis ipse corporaliter habitaret cum habitantibus Cedar, ipse tamẽ in
ps. 105. lumine erat. Nõ sic illi de quibus ipse dicebat, Commisti sunt inter gentes, & didicerunt opera eorum, &c. Igitur esto patiens, qui non vincaris a malo; & esto pacificus, vt vincas in bono malum: esto patiens, quia es cum malis: esto pacificus, qa praees malis. Habeat charitas zelũ, sed adhibeat pro tẽpore modũ seueritas.

Censura

Censura quidem numquam remissa, inter missa tamen plerumq; plus proficit: vigor iustitiæ semper feruidus, sed numquam præceps: sicut non omne quod libet licet, sic non omne quod licet, statim expedit.

¶ Idem ad Episco. Lausanen. Epi. 26. Manum vestram militis ad fortia, opus est fortitudine: speculator domus Israel facti estis; opus est prudentia, &c.

¶ Idem ad Episcopũ Gebenen. Epist. 28. Omnia fac cum consilio, nec tamen omnium, aut quorũcunq;: sed tantũ bonorũ. Bonos in consilio, bonos in obsequio ac contubernio: qui vitæ & honestatis tuæ custodes sint, & testes.

¶ Idem ad Theobaldum Episc. 37. De exequenda iustitia quando culpa, tam aperta atq; inexcusabilis videtur, quòd nulla nisi cum iustitiæ periculo, misericordiæ occasio relinquatur: etiam tunc cum tremore & dolore exequenda est iustitia, scilicet vt iudex magis cõpulsus officij necessitate hoc agat, quàm vindicandi libidine. Vbi autem obiectum crimen, aut minus certum esse cognoscitur, aut excusandum suscipitur, hoc libentissime amplectẽdum est: quia salua iustitia, pietas locum inuenit.

¶ Idẽ Epis. 42. ad Archiepiscop. Sennonen. tractat de perturbatissima vita Episcopi. Et primò dicit, quòd Episcopi comparantur his, qui descendunt in mare: facientes operationes in *ps. 106.*

aquis multis: qui aſcendunt vſq; ad cælos, deſcendunt vſq; ad abyſſos; & animæ eorum in malis tabeſcũt: turbati ſunt & moti ſicut ebrij, & omnis ſapientia eorũ deuoratur. Si ego (ait) ſolus mihi ipſi ſum ſcandalo, ſolus tędio, ſolus oneri atq; periculo: quibus ergo moleſtijs angitur? quibus laceſſitur iniurijs? cui etiam & ſi propria ceſſent, numquam tamen de alienis deſunt foris pugnæ, intus timores.

Idem. ¶ Ibi etiam monet, quòd epiſcopus nõ admittat ad conſilium, niſi eos homines qui & boni viri ſint, & prudentes. Et laudat eũ, ꝙ acceperit in conſiliarios duos epiſcopos comprouinciales, qui tales erant. Horum (ait) acquieſcendo conſilijs, neq; præceps eritis in ſententia, neq; vehemens in vindicta, non in corrigendis remiſſior, nõ ſeuerior in parcendis, nõ puſillanimis in expectãdis, nõ citus ad promittendũ, nõ ad reddendũ tardior, neq; prodigus dator &c. Ibidem. Prohibes me (quia ouicula ſum) de epiſcopis iudicare: vtinã & oculos mihi clauderes, vt neq; cernere poſſem, quæ contradicere prohibes. Si video lupas ſæuiſſimas (ſcilicet curioſitatem & vanitatem) irruere in paſtorẽ meum, cur non infremam, vt ad meum fortè balatum, cruẽtis beſtijs a quopiam occurratur, & ſuccurratur perituro? Quid facient de me (qui ouicula ſum) quæ & in ipſum paſtorem tanta feritate inſiliunt?

¶ Ibi

¶Ibi etiam agens contra episcopos, qui esuriẽtibus pauperibus, expẽdunt sua in fastũ & vestes, &c. dicit, quòd quamuis contra eos fama sileat, & populus de hoc non murmuret: quia non potest (ait Dominus) mundus odisse vos: sed non silet fames pauperũ. Ibi multa de hoc, quòd videlicet episcopi de portione illa, quæ est necessaria ad propriam vitam sustentandã, pascunt suos oculos, emendo ea quæ ad nihil aliud conducunt, quàm ad pascendos oculos: quidquid autem vanitatibus accrescit, necessitatibus pauperum detrahitur. Iumenta gradiuntur onusta auro & gemmis, & nostra (inquiunt pauperes) nõ curatis corpora nuda, & esuriẽtia. Et tamẽ hęc oĩa nec negotiationis studio, neq; proprio manuũ exercitio, neq; iure hæreditario acquisiuistis, &c. Hæc pauperes coram deo tantũ gemũt? cui corda loquũtur; nõ enim audent aperte causari aduersus epos; quibus interim pro sua vita necesse habẽt supplicare. Veniet tamẽ dies, quãdo stabũt in magna constantia aduersus eos, qui se angustiauerunt, &c. Et Dñs dicet, Quamdiu nõ fecistis vni de his minimis meis, nec mihi fecistis,

Idẽ. Epist. ad Theobal. episc.
Io. 7.
Matth. 25.

¶ Verus Epus (vt ibi Bern. ait) sit in præsentiarum tamquã vas perditũ, vt quãdoq; sit vas in honorẽ: nõ. n. pure valet Dei, vel proximi quęrere lucra, nisi qui propria lucra contempserit: & extrinsecas gloriolas perfecte respuerit.

Epist. 37. Ad comit. Theobaldum.

¶ In

¶ In eadem Epistola, Scholares pueri & impuberes adolescentuli; ob sanguinis dignitatem promouentur ad Ecclesiasticas dignitates; & de sub ferula transferuntur ad principandum præsbiteris: lętiores interim quòd virgas euaserint, quàm quòd meruerint principatum.

Ber. Epist. 37. ¶ Ibi increpans Abbates, qui procurabant exẽptiones ab obedientia Episcoporũ, & gestare etiam mitras, dicit, Quis dabit mihi cẽtum in meĭ custodiã deputari pastores? nam plus timeo dentes lupi; quàm virgã pastoris? O stupenda insania, non cũctari præponi custodem plurimis animabus: & non posse ferre vnum custodem super propriam animam.

Ad Epis. Carnoten. ¶ Idem Epist. 55. dicit, quòd bona fama Episcopi affert ei graue onus: quia omnes miseri moti odore famę, fiducialiter currunt ad ipsum in suis necessitatibus, vt ad communem patrem.

Ad eundem. ¶ Idem Epistola 66. Scandalum cuiuslibet aduersus me, siue iustum siue iniustum sit, non debeo dissimulare.

Ad Guid. abbat. de trib⁹ font. ps. 34. ¶ Idem Epist. 70. Episcopus & si facit totum, quod in se est ad conuersionem alicuius, si tũc ipse non cõuertitur, nõ est satis vt consolationem recipiat. Discedãt (inquit Ber.) a me qui me cõsolantur, & dicũt, quia oratio mea in sinu meo reuertetur, dũ is pro quo emissa est, nõ dum cõuertitur. Neq; audio illos, qui mihi blã-

Ezec. 18. dientes asserunt, Iustitia iusti super eum erit, dum

dum impius in sua impietate remoratur. Non enim recipio consolationem, quamdiu fratris video desolationem.

¶ Idem ad quendam Abbatem Epist. 72. qui eum in litteris sui, vocauerat patrem, & dominum inter alia sic dicit, Qui me exaltat humiliat: & qui me humiliat, exaltat: sic tu me exaltando, deijcis: & extollendo, deprimis. De talibus soleo deo cõqueri in orationibus, Qui laudabant me, aduersum me iurabant: ad quam meam quærimoniam audio Deum respondentem, & attestantem, Vere qui te beatum dicunt errorem mittunt. Et ego subiũgo, Igitur Domine, auertantur statim erubescẽtes, qui dicunt mihi, euge, euge: idest, illi qui me laudant, ignorantes vilitatem meam, tandem cognoscentes eam, Erubescant, & pudeat eos talem laudasse, ac proinde desistant.

Ramaldũ abbat. fusniacensem.

ps. 101.

ps. 69.

¶ Idem Epist. 78. publice manifestat culpam cuiusdã diaconi; qui simul erat archidiacon⁹, & decanus, ac dapifer regis Frãciæ: & dicit, ꝙ non est curandum, si scandalizetur ille, cuius vitia carpuntur: quia melius est vt scandalum oriatur, quàm vt veritas relinquatur.

Ad Sugeriũ abb. S. Dionys.

¶ Idem Epis. 80. monet quemdam Abbatẽ puniturum quosdam, quod puniendo, non solum consideret, qua pœna illi digni sunt: sed etiam quid dignum sit sibi punienti, scilicet vt misericordia superexaltetur iudicio, &c.

Ad Guidonẽ abb. molysmensem.

Idē. - Ber. § Ad Archiepiscopum Eboraceñ. Epi. 95. & 198. dicit, quòd magis proprium munus est episcopi, feruere zelo in tuendis oppressis pauperibus (quibus non est adiutor) quàm in eleemosynis dandis. Hoc enim est commune omnibus diuitibus: illud paternæ pietatis egregium specimem.

Ad Guli ermū comitem. § Idem Epi. 127. Si quis de populo deuiat, solus perit; error prælati, multos inuoluit, & tantis obest, quantis præest.

§ Ibidem, Si aliquis laborat infamia, non potest esse prælatus; quia si sunt vera quæ de eo dicuntur, indignus est; si falsa, oportet tamen pastorem habere etiam decorem famæ.

Ad papā Innoc. § In Episto. vero. 158. videbis quanto zelo ardebat Bernard, ne crimina manerent impunita. Quidam reus factus in morte Thomæ, prioris sancti Victoris, confugerat ad sedem apostolicam, vt se defenderet. Scribit ergo Pontifici, quòd si ille confessus fuerit culpam, & petierit pœnitentiam; nō negetur ei. Si autem petierit audientiam, detur ei illa, quam Moyses dedit adorantibus vitulum, quā Phinees fornicanti Israelitæ, quam Mathathias dæmonibus immolanti, quam Petrus Ananiæ.

EX DIVO AGVSTINO CHRYSO. *aliisque patribus, selectæ quædam de officio pastorali sententiæ.*



VANTVM oporteat bonum pastorem vigilare, ne illaqueetur vitio inanis gloriæ, patet ex verbis Augustini sic dicentis in lib sentē. Prosp. Quas vires nocendi habeat humanæ gloriæ amor, non sentit, nisi qui bellum ei indixerit: quia & si cuipiam facile est laudem non cupere, dum negatur, difficile tamen est ea non delectari, cum offertur. Quia igitur hoc virus est nocentissimum, & imperceptibiliter per poros ingrediēs, ac omnia intus corrumpens, nihil vtilius saluti animæ hominis in statu glorioso constituti, quàm continuè audire opprobria, & scire quòd omnes male recipiunt acta sua, despiciunt, & derident, & maledicunt ei. Quamuis enim hoc sæpe noceat animabus suorum subditorum, propriæ autem animæ saluberrimum medicamentum est. *Refert a prospero sententia. 318.*

¶ Gregorius in generali Synodo, Cum vita pastoris in exemplum debeat esse discipulis, plerumq; clerici, qualis in secreto sit vita Pontificis nesciunt: quam tamen sæculares pueri, & seruientes sciunt. De qua re presenti decreto constituo, vt quidam ex clericis, vel etiam ex *Decretorum tēpore Mauritij. cap. 2.*

Monachis electi, in ministerio cubiculi pontifici obsequantur: vt is qui in loco regiminis est, & tales habeat testes, qui veram eius in secreto conuesationem videant; & sedula ex visione exemplum profectus sumant.

Prosper cap. 2. in Med.

¶ Prosper secundo de vita contemplatiua, tractans de conditionibus sanctorum pastorum inter cetera, sic dicit, Hi sunt duces fidelis populi, omnibus bonis amabiles, & male sibi cõscijs etiam ipso visu terribiles, vindices oppressorum, primi phalanges inuisibiliũ præliorum, columnæ firmissimæ in Christo fundatæ: quibus innititur omnis multitudo credentium, dispensatores regiæ domus; quorũ arbitrio in aula regis æterni diuiduntur gradus, & officia singulorũ. Hi sunt qui non ambiendo, sed spiritualiter viuẽdo, sacerdotium meruerunt; qui nihil sibi applaudunt de præstantia principatus: quoniam nõ inflãmat eos honor acceptus, sed exercet labor impositus: non cogitant profectum suæ excellentiæ, sed sarcinam: non gloriantur de dignitate, sed potius sudãt, quasi cõstituti sub onere; quos deus vocat speculatores; quia religiosa curiositate actus omnium explorant: & quos bonos probant, honorãdo confirmant. Quo vero vitiosos deprehenderint, arguentes emendant: aut si emendari noluerint, æquanimiter portant: habituri vberrimum fructum, aut de sua districtione,

ctione, si correcti profecerint: aut de sua patiẽtia, etiamsi illi quos sustinent, emendari noluerint. Ambiẽtes pretermitunt honorare, nõ ex inuidia, sed altæ prudentiæ consilio: quia illis non expedit. Latere autem cupientes, honorant: vt eis aditum ad maiores profectus aperiant. Quos probant posse pati increpationem, castigant: impatientes autem obiurgationis, vt languidos, palpant: non eis adulando quòd tales sunt: sed infirmitatibus talium compatiendo, si non possunt aliter sanari: quia contingit quòd cum tales infirmi puniuntur, succumbunt mole tristitiæ aggrauati, & fugiũt vultus sanctorum; per quos aliquãdo possent restitui: & iam non secrete, sed impudenter in omnia vitia præcipitantur.

¶ Idem ibidem, Capit. 9. & 10. Quamuis episcopus ante, omnia propria dimiserit, tamen factus episcopus potest sine aliquo impedimẽto perfectionis, facultates ecclesiæ dispensare: quia non sunt propriæ, sed omnino communes. Et ideo. s. Paulinus: qui prius vendiderat sua prædia, & pauperibus erogauerat; factus episcopus nõ contẽplit ecclesiæ facultates: sed fidelissime dispensauit. Sic Hilarius, qui prius omnia sua pauperibus distraxerat, post factus episcopus non solũ conseruauit, quæ inuenit, sed etiã acceptis fideliũ numerosis hæreditatibus, ampliauit: quoniã hi sancti viri facultates *Prosper.*

Ecclesiæ non vt possessores, sed vt procuratores possidebant: non eas in suos vsus vendicãtes vt proprias, sed vt commendatas pauperibus diuidentes: scientes nihil aliud esse res ecclesiæ, nisi vota fidelium, pretia peccatorum, & patrimonia pauperum. Et ideo habentes, dicebantur ea cõtemnere: quia non sibi sed aliis possidebant; nec suscipiebant eas habendi cupiditate, sed subueniẽdi pietate. Vnde nõ erogabant eas eis, qui sibi de suo sufficiunt: cum nihil aliud sit habentibus dare, quam perdere: & etiam ipsi non sine grandi peccato accipiũt, de quibus pauper uicturus erat. Immo etiam ipsi pauperes, quando suis artificiis, aut labori bus possunt se sustentare, non debent de bonis ecclesiæ accipere, ne ecclesia grauata non possit infirmis & debilibus subuenire. Clerici etiam, qui fideliter laborant in ecclesia, non expectent hic stipendia temporalia ab ecclesia, quasi præmia laborum (quia stipẽdia suæ militiæ, non nisi cælestia sunt) sed solum necessaria ad sustentationem vitæ. ¶ Taxat etiam ibi sacerdotes, qui cum ex propriis habeant vnde viuant, volunt tamen in cõgregatione viuere ex sumptibus ecclesiæ, quia usurpant cibos pauperum, et subiungit, Dura sunt hæc quæ dico, neq; ego diffiteor dura sunt, sed obseruare nolentibus: nam facientibus, facilia sunt. Quomodo difficile est, quòd non accipias ab eccle-

ſia id; quo opus non habes?

¶ Ibi, etiam cap. 21. exponens verbum Ioan. Debemus ambulare ſicut Chriſtus ambulauit, dicit, Quid eſt ambulare ſicut ille ambulauit; niſi contemnere omnia proſpera quę contempſit? & non timere aduerſa quæ pertulit? docere quæ docuit? ſperare quæ promiſit? præſtare beneficia etiam ingratis? non retribuere ſecundum merita maleuolis? orare pro inimicis? miſereri puerſis? inuitare aduerſos? æquanimiter pati ſubdolos atque ſuperbos; ac denique (iuxta verbum Apoſtoli) mortui ſimus carni, vt duntaxat Chriſto viuamus? Sicut .n. carne mortuus, nulli iam detrahit, nullũ auerſatur, aut deſpicit, nullius pudicitiam calida circunuentione corrumpit, non inuidet, non adulatur, non ambit. &c. ſic qui carnem ſuam crucifixerunt cum vitijs & concupiſcentijs, nulla horum poſſunt agere, aut pati.

prof. c. 1. princ. 1. Ioha. 2.

Colos. 3.

¶ Auguſtinus Epiſto. 52. Debet homo diligere proximũ, tamquã ſeipſum. Vt quem potuerit hominem, vel beneficentiæ conſolatione, vel doctrinæ informatione, vel diſciplinæ coertione adducat ad colendũ Deũ. Et ibi ex Terentio adducit illud ſenis, Tantumne ab te tua eſt otij tibi, aliena vt cures æque, nihil quæ ad te attinent? Cui hic reſpondit alius, Homo ſum, humani nihil a me alienum puto. Cui ſententiæ ferunt theatra tota, plena ſtultis doctiſque

Aug. Ad Macedonium.

Heauton. in princ. Menedemus. Chremes

 applau-

applausisse. Et quia hæc epistola fuit directa cuidā Macedonio, iudici sęculari, in fine dicit ei, Tu adeo magnū animū,& mirabiliter laudādum geris, ut neq; curas sæculares deseras, & cęlestibus rebus libentius, atq; familiarius occuperis. Ex quib⁹ Augu. verbis patet, a pusillanimitate ꝓcedere, ꝙ hō nō possit vtraq; pstare.

Aug. Ad Macedonium. ¶ Idem episto. 54. Facile atq; procliue est malos odisse, quia mali sunt: rarum autem & piū eosdē ipsos diligere, quia homines sunt. Ne putes quod omne odiū iniquorū zelus dei est.

Augu. ¶ In eadē epistola late disserit, quomodo absq; culpa possumus intercedere coram iudicibus, vel prælatis pro criminosis, pro eorum pœna temperanda, vel remouenda. quod quisque in domo sua puniret admissum, sine culpa in alterius domo vult esse impunitum. Nam &

Io. 8. dn̄s apud homines, intercessit ne lapidaretur adultera. Et eo modo nobis intercessionis cōmendauit officiū: nisi qa ille terrendo fecit (dū ait, q sine peccato ē vestrū. &c.) ꝙ nos petēdo facere debem⁹, qa ille Dn̄s, nos serui: & illo sic terrēte, cecidit sæuitia, tremente cōscientia: & recedētes, solā misericordi miserā reliquerūt. Cedat ergo huic sententiæ pietas christianorū, cui cessit ipietas Iudęorū. Igitur (ait) nos peccatores, intercedimus ꝓ peccatorib⁹ corā peccatoribus: quamuis non fuerimus peccatores, oportet nos sequi exemplum illius, qui sine

peccato

peccato existens, dixit adulteræ. Neque ego te condemnabo, quasi dicat, Si malitia tibi parcere potuit, quid metuis innocentiam?

¶ Ex hac epistola collige, quòd tempore Aug. frequentissimum erat, quòd episcopi intercederent pro reis apud Potestates sæculares. Ibi etiã habes, quòd qui rogat pro reo, benigne est audiendus: nec reputandus est approbator criminis, sed humanissimus intercessor.

¶ Ibi dicit etiam, quomodo episcopi procedebant cõtra crimina pertinentia ad forum sæculare, vt latrociniũ. &c. Agimus (inquit) quantũ episcopalis facultas dat. s. comminamur diuinũ iudiciũ, & nonnumquã etiã humanum: arguimus, increpamus, detestamur quosdam clam: quosdã palam, sicut diuersitas personarũ diuersam videt posse recipere medicinam; aliquando etiam si res magis curanda non impedit, sancti altaris communione priuamus.

¶ Idem epis. 140. Curæ ecclesiasticæ adeo me occupatissimum tenent, quòd paucula guttulæ temporis, vix recreant vel cogitantem, vel dictantem, vel reficientem corporis vires. *Aug. Ad Anastasium.*

¶ Idem epis. 148. Nichil difficilius, laboriosius periculosius episcopi officio. Et hoc multo amplius quàm putabã, expert⁹ sum; nõ q̃a nouos aliquos fluctus, aut tẽpestates vidi, quas ante non nouerã, vel nõ audieram, vel nõ legeram, vel non cogitaram; sed ad eas euitandas

aut perferendas solertiam; & vires meas omnino non noueram; & alicuius momenti arbitrabar: Dominus autem irrisit me, & rebus ipsis ostendere voluit me ipsum mihi. Et ante hæc præmiserat, Arbitror Dominũ meum propterea me sic emendare voluisse, quod multorum peccata nautarum (antequam expertus essem quid illic agitur) quasi doctior & melior reprehendere audebã. At postquam missus sum in medium, tunc sentire cœpi temeritates reprehensionum mearum; quamquam & antea periculosissimum iudicarem hoc ministerium. Igitur (inquit) cognita nunc ægritudine mea, debeo scripturarum eius medicamenta omnia perscrutari: & orando ac legendo, agere, vt idonea valetudo animæ meæ ad tam periculosa negotia tribuatur: quod ante non feci, quia tempus non habui: tunc enim ordinatus sum, cum otiũ quærebam ad cognoscendas diuinas scripturas. Iubes ergo, vt peream pater Valeri, vbi est charitas tua?

Aug. Donato presbitero donatistæ. ¶ Idẽ Ep. 204. Quod multi quia nolebant, acceptare Epatũm, pducebantur, includebãtur, custodiebantur, & patiebant multa q̃ nollẽt, donec eis adesset volũtas suscipiendi opus bonũ.

Nazian. ¶ Nazianzenus in oratione de laudibus Basilij, Indicia idonei viri ad præfecturam ecclesię sunt hæc, Loquendi libertas erga principes, indigentium subsidia, plura quidem spiritualia;

lia, non pauca corporalia, hospitum receptio, virginum congregatio, monachorum institutio verbo & scripto, precum ordinatio, gradus exornatio. Episcopus debet esse sicut Melchisedec sine patre, sine matre, & sine genealogia, superando teneros affectus erga consanguineos. Immo Dominus vt suos erudiret vicarios, semper aspere locutus est ad consanguineos suos, quoties intercessit negotium cum eis. Aliquando enim dixit, Nescitis quid petatis. Et alibi, Quid est quòd me quærebatis? Et, Quid mihi & tibi mulier? Et, Quæ est mater mea, aut fratres mei? &c. Quasi dicat, Non habeo alios consanguineos, nisi qui patris mei voluntatem faciunt. Et sæpe alibi. Sciebat Dominus multos pastores futuros, qui occasione consanguineorum ad terrena flecti deberent: ideoq; sic eos añ præmuniuit. Esaias dicit, q̄ tempore Messiæ restituẽdi erunt iudices, sicut a principio scilicet tempore iudicum: qui sine fastu & pompa, creditũ sibi populum regebãt. Vnde quidam eorum dicebat, Quod videritis me facere, hoc facite: & alius, Non dominabor vobis, neque filius meus, sed Dominus. Ideo ad episcopos dicitur, Nõ dominantes in clero, sed forma facti gregis. &c.

Mar. 10.
Luc. 2.
Io. 2.
Mar. 3.
Iudic. 7.
Iudic. 8.
1. Pet. 5.

¶ Chrisost. homil. 3. in Acta, Nõ arbitror inter Episcopos multos esse, qui salui fiant, sed multo plures qui pereant: quia sæpe nõ damnãtur

Chrisost.

pro-

ꝓprijs peccatis, sed alienis, quæ nõ curauerũt.

Chrysost. ¶ Idẽ homil. 15. ad Timo. 1. Ego audẽter dixerim ecclesiæ ꝓsules, nihil ꝑter victũ, & vestitũ habere oportere: ne ad ista trahant desiderio.

Chrysost. ¶ Idẽ lib. 3. de sacerdotio, Omnes ciues expectant, quòd episcopus quotidie eat in domos suas, non solum quando sunt ægroti: sed etiã quando sani, alias offenduntur. &c. Volunt quòd non comedat, quòd non habeat, vel vnũ famulum. &c. Denique quòd sit angelus, nullam habens carnis fragilitatem.

Chrysost. de sacer. ¶ Idem dicit lib. 4. Quòd episcopus cõpulsus ad episcopatum, nõ potest se excusare, dicens, Numquid ego accurri ad hoc ministerium? sicut neque Sauli illa poterat prodesse excusatio, si dixisset Samueli. Quare deus me constituit regem? quare credidit mihi bellum aduersus amalechitas? Si mansissem in vita mea priuata, non incidissem in has molestias & pericula, neque peccarem. Hęc si dixisset, non solũ nõ se axcusasset: sed magis iram dei aduersum se irritasset. Oportet enim etiam sic cõpulsum, vti gratia dei ad maiorum virtutum profectũ. Velle aũtẽ benignitatẽ dei, auctorẽ facere criminũ suorũ, est hominũ impiorũ, ac eorũ quorũ vita in ignauia, & socordia versat. Sic Moyses quantũcumq; recusauerit præfecturam, tñ non est cõsecutus veniã, vt intraret in terram ꝓmissionis: & post tot labores toleratos í pelago

lago illius deserti, nō est permissus frui portu.

¶ Ibi. lib. 6. Quòd episcopus sit diligentissim⁹ in excusando se, ac defendendo famam suam, quando de illo male loquuntur, aut suspicantur, aut suspicati sint: cū Apostolus etiā contra suspitionem furti se munierit. 2. ad Cor. 8. *Chrysost. De sacerd. tom. 2.*

¶ Thaulerus ī Ser. Ego sū pastor bon⁹, Mercenarij (ait) sunt, & ī summis versant̄ piculis, prælati, q̄ aliud intēdūt & quærūt, q̄ pure dei gloriā, & salutē animarū. Certe sese plangerēt die ac nocte, & tabescerēt p̄ dolore, si exploratū haberēt quàm districto iudici rationē sunt reddituri d qualibet anima, & de causis, & negotijs oībus sibi cōmissis. certe (ait) tēpestate hac fungi officio pastorali (modo illi digne velis satisfacere) grādis cruciatus ē, & crux penè intolerabilis. Nihilq; illā tolerabilē pōt reddere, nisi magnus amor illius, qui p̄ nobis sustinuit crucē, &c. Officio aūt suo facit satis, si id qd faciēdū ē meliori modo exequit̄, quantū sibi cōstare pōt, licet alioquin rectius fieri posset. Cōmunis sit, & affabilis tā amicis quàm inimicis, hoc.n. magnā pacē parit, suauiter serius erit, & potius ex amore, q̄ ex timore p̄cipiet, vbi mordere nō licet, saltē latrat⁹ quosdā dābit. Si nō pōt p̄mouere subditos ad vitā sanctā, saltē hoc oīno caueat, ne virtus decrescat, & malitia sub ipso vires sumat, & īcrementū. Doceat potius exēplis q̄ verbis, patiēter ferat cū Saluatore dicta sua, *Thaule.*

& facta calumniose interpretari: & ab his sustinere mala, quib⁹ maxime studet benefacere: neq; speret, neq; velit omnibus placere, alioquin sæpe deo displicebit. Do ego consilium omnibus in quacumq; prælatione cõstitutis, vt semper in ima siue fundum humilitatis sese demittant, nihilque suum ob oculos habeant, omnem superbiã deuitent. Cum aliquem reprehendere volunt, sese prius reprehendant: & quantũ fieri potest, malũ studeant vincere in bono: non.n. Sathanas Sathanã expellit. Sic ex corde mãsueto mitia, & dura verba pferãt, prout res ipsa, & causę exigere videbunt. Qualibet die sæpius quidẽ, specialiter verò duabus vicibus sese intro recipiẽt, manè.s. & vesperi, & tũc semotis paulisper, & a memoria exclusis omnibus rebus, & negotijs temporalibus, sese corã se statuent: menteq; in deũ sublenata, oĩa aduersa & grauia de illius suscipient manu, illi offerent, pro eius amore sustinebũt: ac per ipsum deniq; vincent. Et hoc facient amabiliter, dulcia cũ deo colloquia miscendo, & suum in illo recreando spiritũ. Hoc modo sub vna hora integrũ diem, immo plurimos dies poterũt recuperare. Hæc omnia Thaulerus. Et subiungit, Vera.n. perfectio non in cõsolationum affluentia sita est, sed ĩ voluntatis integra resignatione ĩ voluntatẽ dei, ad oĩa tam amara quàm dulcia ferenda. In hoc enim statu melior

est ariditas mentis, quàm extra hunc profusa suauitas. Qui igitur ad onus pastorale vocatus est a deo, ipsum æquanimiter ferat, & diligenter faciat quod in se est, hoc secum cogitans, quod si hoc onus non esset sibi impositum, alia fortassis peiora onera ei accidissent: & certus sit quòd Dominus Deus (cuius gloriam quærit, & qui hoc onus illi imposuit) potest, & vult ei prouidere, & in suam gloriam dirigere. Hæc ille. Igitur cum angustiæ, scrupuli, cor vndique premunt ob negotiorum tumultum ac perplexitatem, mox toto conatu introuertere, & resigna teipsum in Dominum: & de manu illius suscipe omnes anxietates, ac mentis ariditates, gratias ei agendo.

SECVNDA OPERIS PARS;

in qua tum Sanctorum patrum testimoniis, tum uero perspicuis rationibus, omnia episcoporum, aliorumq; prælatorum officia explicantur.

SOLICITVDO ET OCCVPATIO, quæ sit digna Episcopo, & quæ indigna. Cap. I.



VID episcopo turpius, quã incumbere supellectili, & substantiolæ suæ, scrutari omnia, sciscitari de omnibus, morderi suspitionibus, moueri ad quæque perdita, *Ber. lib. 4 de cõside. ad Eugenium.*

perdita, vel neglecta? Ad verecundiã dico quorundã, scrutantiũ quotidie substantiam suam, numerantiũ singula, de minutis, & quadrãtibus exigentiũ rationem. Ille gentilis ægyptius ignorabat, q̃d haberet ĩ domo sua omnib⁹ traditis Ioseph seruo, & alienigenę. Et christian⁹, & episcopus, nõ audet credere bona sua christiano? Facile inueniunt episcopi, cui cõcredãt animas Christi sanguine redẽptas, nõ autẽ cui cõcredant facultatulas suas? Optimi æstimatores rerũ, qui magnã de minimis, parnã aut nullam de maximis curã gerunt. Liquido datur intelligi, quòd patiẽtius ferim⁹ iacturas Christi, quàm nostras: detrimẽta gregis dominici nescimus, expensas autẽ nostras quotidie scrutamur, tractamus cũ ministris de pretijs escarũ: vix autẽ loquimur cũ præsbiteris de peccatis populorũ. Tũc ad singulas supputationes irascuntur, vrũtur, vexãt, anxiantur. O quàm tolerabilius, rerũ, quàm mentiũ sustinemus iacturam. Si põt torrens in agros excurrere, sine læsione satorũ, & tute ista sine vulnere mẽtis pos se tractare confidito. Omnib⁹ ergo modis (ait) consulo a te auertere cõcursũ horũ, multa nescias, plurima dissimules, nõ nulla obliuiscaris.

Ber. lib. 4. de con side, ad Eugeniũ. ¶ Studeas scire mores, & studia familiarium tuorũ: non decet vt vitia domus tuæ vltimus scias, quod quàm plurimis nouimus cõtegisse. Alius alia dispẽset, tu d̃ disciplina prouide. Illud nemici

nemini credas, si insolentior coram te, vel sermo sonuerit, vel habitus apparuerit: manus tua super huiusmodi; vlciscere iniuriam tuam, impunitas ausum parit, ausus excessum. Domum episcopi decet sanctitudo, honestas in vultu, incessu, habitu &c. Discant a te coepiscopi comatulos pueros, & comptos adolescẽtes secum non habere: certe inter mitratos discurrere calamistratos non decet. Et maxime conuenit, vt familiares episcopi sint viri spirituales: nam vt dicit Gregorius super Ezechielem, Qui sanctis adhæret, ex assiduitate visionis, locutionis, exemplo operis, accipit vnde accendatur in deum, vitia fugiat, minusq; sentiuntur labores virtutis: sciunt enim illi compati, sciunt gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus, libenterq; sustinent penuriam temporalium.

¶ Vitam episcopi describit Bonif. 8. vt habetur in Clement. dudum de sepulturis, in hunc modum, Quasi torrens in alueum amplum, sic cõfluũt vndiq; negotia ardua, & plurima in cor episcopi, quibus prægrauatur, curis innumeris excitatur, cogitationibus plurimis distrahitur, ad hoc tantum, vt nomẽ diuinum exaltetur, catholica fides promoueatur, animæ proficiant, vt radicitus vepribus dissidiorum, ac litigiorum euulsus, vigeat tranquillitas pacis, feruor charitatis exæstuet, inualescat con-

cordiæ vnitas. &c. Et ait Bernardus, Quamuis vita cõtemplatiuorum pura, sit dulcior & felicior; tamẽ vita prælatorum est fortior & vtilior: quorum est sensus suos, ac omnia terrena, quasi quasdam diuinas opes, ad beneplacitum dei dispensare. Et quia attentio habet multos gradus, quando audis negotia, solum illum gradum attentionis accõmoda, qui requiritur & sufficit ad ipsum, semper reseruata
2.par. 7. (saltem) parte cordis deo. Vnde Greg. in Past. arguit prælatos, qui imprudenter mentem diuertunt, ac confundunt per diuersa: quo fit (ait) vt a timoris intimi soliditate vacuetur mens, & sit in dispositione exteriorum solicita; & sui solummodo ignara, scit cogitare multa, se nesciens. Nam (inquit) cum plusquam necesse est, exterioribus se implicat, quasi occupata in itinere, obliuiscitur quo tendebat: ita vt studio suę inquisitionis alienata, ne ipsa quidem quæ patitur damna cõsideret, & per quãta delinquat, ignoret. Et tamẽ dicit idem Greg.
2.p. c. 7. quòd quidam pastores delectãtur externis negotijs, & laborem putant cessare ab eis, quia
2.cor. 11. ipsa quiete maxime fatigantur. Apostolus qui dicebat solicitudo omnium ecclesiarũ incumbit mihi, volabat cæleriter ad ecclesias; vt occurrentibus necessitatibus consuleret. Sic ergo oportet apostolicum episcopũ, sæpe ad varias ecclesias diuertere, vt occurrat casibus, & scanda-

ſcãdalis, quę nõ niſi eo pręſente poſſunt cõmode tractari. Hoc eſt propriũ paſtoralis curæ: qa omnes ſunt oues ei creditæ. Neq; audiẽdę ſunt voces eorũ, qui dicũt, tot diſcurſus auctoritatẽ officij offuſcare, ſufficere autẽ vt aliquibus tale onus cõmittatur. Nihil. n. aliud moliũtur hi, quàm vt auctoritatẽ perſonę illibatã ſeruẽt, cõmoditate aĩarũ neglecta. Memẽto, qa charitas nõ eſt ambitioſa, neq; faſtuoſa. Aĩaduerte te, ꝙ diſcipulꝰ es illius, q nõ venit miniſtrari ſed miniſtrare, & diſcurrere ꝑ ciuitates & caſtella ad quęrẽdas animas: ꝓ nihilo ducẽs in hmõi diſcurſibus, aut ceteris ſanctis laboribꝰ perdere vitam, ſalutem, honorẽ, famam. &c. dumtamẽ conſumaret opus, quod ei a patre iniunctũ eſt.

¶ Gregor. ſic exhortatur epiſcopos, Studeat cor noſtrum terrenorum paſtorum imitatione ſuccendi, qui hyemales noctes imbribus, geluq; conſtricti, ducunt per vigilias: ne vel vna ouis, & forte non vtilis, pereat. Quam ſi inſidiator ore mordaci momorderit, quomodo ſatagũt, quibus cordis anhelant æſtibus, in quas voces (vt eruant captum pecus) anguſtia ſtimulante proſiliunt, ne a Domino gregis exigat quidquid per incuriam perierit? Sic ergo nos vocibus diuinorum eloquiorum, periclitantes oues ad gregem reducamus &c. *Epiſt. 33. lib. 2.*

¶ Ibidem l'eto (ait) vt mihi ignoſcas, quòd epiſtolis tuis ſub breuitate reſpõdeo: quia tan- *Cap. 102.*

tis tribulationibus premor, vt mihi neq; legere, neq, per epistolas multa loqui liceat. Hoc solum tibi breuiter dico: quia oblitus sum comedere panem meum, a voce gemitus mei.

¶ Cum turbę negotiorum in te irruerint, vt suis necessitatibus consulas, ne torquearis: sed paternum expande sinum, memorans il-

Luc.5. lud, Cum turbæ irruerent in Iesum &c. Et cũ tunc, anxiaris desiderio quietis, recordare verborum Bern.serm.53.super Cant. sic dicentis, Is qui alijs pręest in solicitudine, vix vmquam, vel raro secure vacat sibi: dum semper timet sui penuriam facere subditis, & non placere deo; quòd communi vtilitati propriam præfert quietem, & contemplationis dulcedinem.

¶ Præcipua episcopi solicitudo esse debet, circa collationem beneficiorum curatorum. Ideo

1.Tim.5. præ oculis habeat illud Apostoli, Testificor coram deo & Christo Iesu, & electis angelis, vt hæc custodias, sine præiudicio (.1. sine præuio iudicio) nihil faciens in alteram partem declinando (.1. nihil agens præcipitanter) Manus cito nemini imposueris, neq; communicaueris peccatis alienis. Ideo vacãte beneficio oran-

Act. 1. dum est, Ostende Domine quem elegeris, &c. Tu Domine nosti, quòd in hac distributione ego prorsus nolo attendere ad carnem, & sanguinem: sed eligere ministrum tibi fidelem, & medicum vtilem animabus tuo sanguine redemptis.

demptis. Ad hoc etiam animaduerte, quomodo Luc. 6. pernoctauit Dominus in oratione, & mane elegit Apostolos.

¶ O Miserandam multorum episcoporum incuriam, per suam diocesim peragrantium, & aspicientium ouilia sua commissa lupis, hospitalia sua commissa homicidis (.1. parochias commissas rectoribus ignorantibus & carnalibus: quos vel non possit amouere, vel non habet alios, quos loco illorum sufficiat) si transeundo, hæc absq; lachrymis, & intimis gemitibus intuentur. Igitur huic tanto morbo, imprimis omni ratione occurrēdum est. Sed heu o cæcitatem, & insensibilitatem nostram (ait Augusti.) quòd sola insolita exhorrescimus, solita vero (etiam si magna crimina sint) non solum non exhorrescimus, sed etiam aliquando committimus: quo fit vt aliquando curam animarum minus idoneis ministris commendemus, non alia ratione, nisi quia sic soleat fieri.

¶ Augustinus, Nouerit dilectio vestra, numquam me fuisse absentem ab ecclesia mea licētiosa libertate, sed necessaria seruitute: quæ sæpe sanctos fratres & collegas meos, etiā labores marinos & transmarinos compulit sustinere. Tres autem causę possunt excusare pastorem a residentia (vt dicebant Patres in Conci. Tri.) prima scilicet obedientia superioris vocantis: secūda, vrgens necessitas; quia ob ægri- *August. Epist. 138*

tudinem cogitur aliquando mutare aerem: vel quia eius persona quæritur a persequutore: tertia, vrgens charitas scilicet vt subueniat alteri ecclesiæ, vel regno; quod ad tempus magis eget eius ope, quàm sua ecclesia.

¶ Non te fallant allegantes Cap. De multa, de Præb. quod male intellectum, multos in gehennam præcipitauit. Non enim pontifex in hac parte, præcipuam rationem habuit personarum litteratarum vel nobilium: neq; potuit habere, sed ipsarum ecclesiarum. Et ideo tunc solum dispensare intendebat, quando persona docta est talis, quòd plus creditur profutura duabus ecclesijs exemplo ac doctrina, quàm si duabus alijs personis crederentur: quia scilicet plus proderit ecclesię manēs ibi ad sex mēses, quàm alius manens per totum annum. Quòd si ex sua sciētia, vel nobilitate nullū commodū reportat ecclesia, vel minimū, quia videlicet nō residet, aut nō vigilat, aut nō dat eleemosynas, quare in detrimētū ecclesiarū ditabitur ille? Nonne pastor est propter bonū ecclesiæ, & nō ecclesia propter pastorē? ecclesia .n. non est danda clerico propter bonū clerici, sed propter bonū ipsius ecclesiæ: sicut cōmittitur hospitale medico, non propter bonū medici (quamuis ipse id cōsequātur) sed propter vtilitatē hospitalis. Si sic ergo est, quomodo datur ecclesia illi, de quo spes nō est, quòd residebit,

aut

aut vtilis erit ecclesiæ? Non ergo danda est ecclesia alicui, quia doctissimus, aut quia sanctissimus est, aut quia multum seruiuit ecclesiæ matrici: sed qui creditur optime seruiturus ecclesiæ, quæ illi committitur: quemadmodum stipendium taxatum medico huius hospitalis, non est dandum alicui, quia optime seruiuit alijs hospitalibus. Merita enim præcedentia possunt esse causa motiua, ad dandum huic (quatenus ex illis conijcitur ipsum vtilem futurum huic ecclesiæ) non tamen finalis: finis enim est dumtaxat fructus expectatus in futurum: quia non datur beneficium, nisi propter officium. Non enim ecclesiæ beneficia, eorumq; stipendia sunt instituta ad remunerationem bonorũ, sed dumtaxat ad acclesiarum seruitium. Quod late probat Soto lib. 3. de jure & justi. q. 6. Vnde radix iniquitatis, ac cæcitatis multorum in distributione beneficiorum est, quòd cum cõferũt beneficia, pręcipue intendunt prouidere, ac benefacére personis quibus ea conferũt, non autem ecclesijs: cum primum considerare deberent, quid magis expedit ecclesijs, atq; saluti ouium, & iuxta hâc normam prouidere.
¶ Quàm diligenter Gregor. ex omnibus partib⁹ mũdi, bonos clericos quærére, vt eis beneficia cõferret, vide Epistolam. 18. lib. 2. Vbi quia audierat syracusis, esse quendam præsbiterum probatæ vitæ, iubet episcopo vt explorato

an ita esset, curet statim eum Romam mittere, vt eum creet episcopum alicuius ecclesiæ. Idem Epistola. 26.

Greg. Epist.19. ¶ Et ibi Epistola. 19. iniungens cuidam episcopo, vt intersit electioni episcopi alterius ciuitatis, sic dicit, Commonemus etiam fraternitatem vestram, vt nullum de altera eligi permittas ecclesia, nisi forte inter clericos ipsius ciuitatis, nullus ad episcopatum dignus (quod euenire non credimus) potuerit inueniri. Et prouide ante omnia, ne ad hoc laicæ personę cuiuslibet conuersationis, vel meriti aspirare præsumant. Tu ergo qui episcopi munus administras, exemplo hoc explora diligenter per totam diocesim tuam, clericos probatæ vitæ, vt illis imprimis conferas beneficia.

Bernar. Epist.152 Ad monachos alpenses. ¶ Bern. Insolentia clericorum (cuius mater est negligentia episcoporum) turbat totam ecclesiam: dant episcopi sanctum canibus (.i. ordines & beneficia) & margaritas porcis. Et illi conuersi conculcant eas. Merito quales fouent, tales sustinent. Clerici locupletãtur alienis laboribus, & prodit quasi ex adipe iniquitas illorum. Mens quippe assueta delitijs, nec exculta disciplinæ sarculo, multas contrahit sordes. Porro inueteratam rubiginem, si tentes abradere, nec summis saltem digitis contingi patientur: sed sicut scriptum est, *Deut. 32.* Incrassatus est dilectus, & recalcitrauit.

¶ Idem

¶ Idem ſcribens ad Papam Innocentium egregie deplorat hodierna mala, ſcilicet quòd ipſe interim ſummus Pontifex, non permittit epiſcopos exercere officia ſua: nam rectè geſta ab eis, deſtruit; & iuſte deſtructa ſtatuit. Non poſſunt epiſcopi caſtigare crimina, in ſua dioceſi: quia mox refertur cauſa ad curiam, & omnes criminoſi tam de populo, quàm de clero, quàm de monaſterijs currunt ad Pontificem: & redeuntes iactant ſe obtinuiſſe tutores, quos magis vltores ſenſiſſe debuerant. Quo fit vt iuſtitia in eccleſia pereat, claues eccleſiæ annullentur, epiſcopalis auctoritas vileſcat, & cetera. *Bernar. Epi. 178.*

¶ Bern. Boni paſtores dormientibus ſubditis, ibi peruigilant, tamquam rationem pro animabus eorum reddituri: pernoctant in orationibus, hoſtium inſidias ſagaciter explorāt, anticipant conſilia malignantium, deprehendunt laqueos, cor ſuum tradunt ad vigilandū diluculo, ad deum qui fecit illos, cognoſcentes ſuam inſufficientiam in cuſtodienda ciuitate. Igitur (ait) quicumq; opus miniſterij huius ſortiti eſtis, attendite vobis, & pretioſo depoſito, quod vobis creditum eſt. Ciuitas eſt, vigilate ad cuſtodiam concordiamq;: ſponſa eſt, ſtudete ornatui; oues ſunt, intendite paſtui. *Bernar. ſerm. 76 ſu. cant.*

¶ Attendite diligentiſſime, quia dies vna epiſcopi æquiualet multis diebus priuatę perſonę,

ad negotia dei peragenda. Ideo valde debet solicitus esse, ne dies frustra elabantur, illud Eccles. 14. ad mentē reuocās, Non fraudcris a die bono, & particula diei bonæ non te prætereat.

¶ Quid remedij ne curarum, aç negotiorum turba tam valide portam cordis irrumpat, & orationis ac sanctæ vnionis quietē perturbet? Primo, abducere cor a sensuali creaturarum amore: tolle amores, & curç non perturbabūt. non ames, nec optes aliquid nisi in deo, & propter deum: & non te vexabunt curæ, neq; a deo auertent. Secundo, iacta fiducialiter cogitatum tuum in domino: imitare Susannam illam, quç etiam in ipso articulo mortis, adhuc habebat in domino fiduciam. O quàm certus adiutor est deus, omnibus qui in ipsius protectione vere, & ex toto corde confidunt.

Ber. Ser. 39. super Cant. ¶ Proprium est mollis, & delicatæ animæ etiam necessarias dissimulare curas, & ne æstuantes solicitudines sentiat, sub latibulo dissimulationis abscondi.

Bernar. in sermo. de fallacia præsē. ui. ¶ Quid in incertum tibi numeras dies, & annos laborum? Transit hora, transit & pœna: neq; accedunt sibi dies & labores, sed cedunt potius & succedunt. Guttatim pœna bibitur, aliquando sumitur, per minutias transit: non sic remuneratio, sed tota simul veniet: torrēs est voluptatis, & fluminis impetus innundans

2. Cor. 4. lætitiam & gloriam. Æternum (ait Apostolus)

gloriæ

gloriæ pondus. Vide quia ipſamet gloria promittitur, non glorioſa domus aut veſtis, ſed ipſa gloria &c. In momentaneo tribulationis noſtræ latet æternum gloriæ pondus, ſicut fructus in ſemine. Et pondera quòd ille qui dicit, Deliciæ meæ eſſe cum filijs hominum, dicit, *Prou.* 8.
Cum ipſo ſum in tribulatione, Et, Prope eſt Dominus his qui tribulato ſunt corde: tunc *pſ.* 33.
eſt nobis Emanuel: tũc dicitur nobis ſicut Virgini, Dominus tecum. Bonum eſt mihi domine tribulari, dummodo ſis mecum, quàm regnare & epulari ſine te: malo te habere mecũ in camino ignis, quàm eſſe ſine te, vel in cælo. Vide Bernar. vlt. Sermo. ſuper Qui habitat. *Mat.* 1. *Luc.* 1.
¶ Idem. Homo natus eſt ad labores, & dolores (quoniam tu laborem & dolorem cõſideras) labor in actionibus, dolor in paſſionibus eſt. Ad vtrumq; ſe paratum dicebat Dauid, paratum ad labores actionum cum dicebat, Paratus ſum, & non ſum turbatus, vt cuſtodiã mandata tua: ad dolores vero paſſionum dicens, Ego in flagella paratus ſum. Nemo ex filijs Adæ viuit ſine labore, & ſine dolore: neq; illi de quibus Propheta dicit. In labore hominum non ſunt, & cum hominibus non flagellabuntur: nam ſequitur, Tenuit eos ſuperbia (grauis enim labor eſt ſuperbia) operti ſunt iniquitate, & impietate ſua: & hęc grauia flagella ſunt: q̃a nõ eſt gaudere impijs dicit dñs. *Bern. t.* 1. *fol.* 164. *pſ.* 118. *pſ.* 37.
Quòd

Quòd si neq; laboris anxietatem, neq; flagelli sentiunt læsionem, ipsa iam insensibilitas vehementiam indicat passionis. Sudat pauper in opere foris, anxius laborat diues in cogitatione intus. Igitur (inquit) teneamus obedientiam in laboribus, patientiam in doloribus. Sciant gentes quoniam homines sunt. i. nati ad labores actionum, & dolores passionum.

¶ Nulla maior seruitus (ait quidam) quàm eorum, qui præsunt in solicitudine: qualis fuit

1. cor. 9. ille qui dicit, Cum essem liber ex omnibus, omnium me seruum feci, vt plures lucrifacerem: quî non leuiter affligebatur animo, cum quotidie eum vrgeret premeretq; solicitudo

2. cor. 11. omnium ecclesiarum: ita vt clamaret, Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non vror? i. quis est qui aliqua tribulatione præmatur, cum quo ego etiã non tribuler per intimam compassionem? Et quis est qui spiritualiter ruat in culpam, aut saltem cui detur occasio ruinæ, q ego corde nõ vrar?

Aug. lib. 50. ho. 7. sup. Esai. cap. 58. ¶ In August. super illa verba Esaiæ, Clama, ne cesses. &c. habes terrifica quædam de periculo prælatorum. In grandi (ait) periculo sunt episcopi, & alij rectores ecclesiarum ob multa: specialiter autem quia præcipit illis Dominus, quòd libere arguant vitia, dicens, Clama ne cesses. Et Apostolus dicit, quòd episcopus debet esse potens in doctrina sana, ad redarguendum

dum contradicentes. Orate pro nobis, vt dominus liberet nos a laqueo venantium, & a verbo aspero. Nulla enim causa facit dispensatorem verbi dei pigriorem ad arguendos cõtradicentes, quàm timor verbi asperi. Dum enim timemus detractiones, irrisiones, opprobria hominum superborũ, aut ab eis lædi posse bona nostra temporalia, minus quàm oportet prædicamus æterna: & manent vulnera sine medicina, de quibus tamen rationem sumus reddituri. Contradicentes autem hic dicuntur, non solum qui verbo, sed etiam qui male viuendo nobis contradicunt.

¶ Pastor circa oues debet assimilari gallinę, circa pullos: quia vt dicit Aug. super psalm. 58. Gallina super omnes aues materna charitate, circa pullos solicitatur: ita vt tota ægrotet ex labore, raucescit vox, fit hispidum totum corpus, demittuntur alæ, laxantur plumæ, &c. Igitur omni conatu contendat episcopus esse illa euangelica gallina, solicita & anxia, vt sub alas colligat, foueatq; pullos suos. Eius est satagere, moliri, in omnia se vertere, quoties affulget spes aliqua pertrahendi hominem ad Christum, submittendo se, ac vocem cum Paulo commutando, vndequaq; occasiones arripiendo excitandę propagandæq; pietati: vbicumq; vero senserit aliquam bonæ mẽtis scintillam, ibi debet residere: omnibus prompte, mansue-

mansuete, blandeq; respondeat, mulierculæ, plebeio, pagano, hæretico, &c. Iohanes baptista dixit, quòd nihil aliud erat quàm vox, in eo videlicet sensu, quo dictum est cuidam apud Terentium, Tu quantus quantus es, nihil nisi sapientia es. Sic episcopus, quãtus quãtus est, vox est. i. nullum aliud ei incumbit officium, nisi clamare præconia Christi. Episcopus ergo totus debet esse vox, ad gloriam dei, & salutẽ populorum; hoc præcipuum eius munus: sicut dicimus de homine pusillo statura, habente magnam vocem; hic totus est vox. Et in fabulis habetur, quòd cum lupus ex voce putaret philomenam esse aliquid magnum, & tangens eam, paruulum corpusculum inuenisset, dixit, Tu tota es vox, & ideo nihil es. Simus ergo philomenæ dei, & nihil præterea, nisi vox dei. Contemnat nos mũdus, vt abiectos & fere nullos in corpore, hoc est in rebus corporalibus; dummodo id totum simus vox dei, & nihil aliud. Vnde & euangelium potius voci commissum est, quàm scripto: lex vero scribitur in lapidibus: Christus autem nihil scripsit, sed dumtaxat voce docuit; Et Apostoli pauca scripserunt: quia in voce est energia, & libera effusio in omnes aures, etiam vulgares. Ideo debemus esse, continua quædam tuba dei.

Adelph. ac. 3. sce. 4.

¶ Alia sunt negotia sæcularia, alia ecclesiastica. Nonne Moyses in sæculo erat, cum crebro taberna-

1. to. conci. pag. 224.

bernaculum intraret & exiret? Qui intus contemplatione raptus, foris infirmantium negotijs vrgebatur: intus dei arcana considerans, foris onera carnalium portabat: sic Paulus: sic etiam episcopus debet facere.

¶ Quia prælatis nimium occupatis, multa contra veritatem subrepunt, ideo dicit Bernar. Innocēt. Papæ, Hic vigilet oculus pietatis vestrę, & semotis paulisper occupationibus considerret, quantum subreptum sit ei. *Bernar. Epi. 179.*

¶ Bernar. considerans scandala sui temporis, præsertim quando insurrexit in gallia Petrus abailardus hæreticus, dicebat, Vellem modo de medio fieri, victus fateor a pusillanimitate spiritus & tempestate. Sancti cupiebant dissolui, desiderio videndi deum: ego autem compellor exire scandalis & erumnis. Et quamuis afficiar mortis desiderio, vereor tamen ne non paratus inueniar: tædet me vitæ meæ, & an mori expediat nescio. *Bernar. Epi. 189.*

¶ Solent dicere homines in amplo statu constituti, Non possum sectari vitā spiritualē, tot necessitatibus implicatus, quibus respōdet Aug. Necessitates sęculi finiuntur, quando cupiditates vincūtur. Quot autem occupationibus ipse tenebatur, habes epist. 158. vbi sic dicit, Inter aceruos occupationum, quibus nos alienæ vel cupiditates, vel necessitates angariatos trahunt, vix paululum spatij datur dictandi. *August. Epi. 70.*

¶ Hea

¶ Heu quantum distamus ab officio nostro, quod est, non solum publice concionari, sed etiã priuatim p domos singulas delinquẽtes,
Act. 20. cũ lachrymis monere, vt Pau. testatur se fecisse.
Chrysost. ¶ Cogimur videri hominibus onerosi, graues,
Ad Epis. & iniocundi: quia non possumus esse vtiles
August. oblectando, sed mordendo. Nam (vt ait Au-
Epist. 156 gu.) phrenetici nolunt ligari, & lethargici no-
Chrysost. lunt excitari: ad quod tamen cogit charitas.
de sac. to. ¶ Tantum diligit, ac curat Christus pastorale
1. Io. 21. officiũ, vt dicat, Si diligis me, pasce oues meas. .i. hoc est in quo mihi summe placere potes, si eos qui me offenderunt, mihi reconcilies: ob hoc enim ego sanguinem fudi. ¶ Quantum vero torqueri debeat, quando subditi peccant, habes verba eiusdẽ Chrysost. Quãdo (inquit) aliquos vestrum peccare contingit, emoriar, nisi videor similis dolore exanimatis, nisi attonitus, ita vt etiam ipsum lumeñ oculorum meorum non sit mecum. nam quæ spes mihi, si vos non proficiatis?

Chrysost. hom. 3. in acta.

¶ Non solum circa mores, sed etiam circa vestes clericorum debet solicitari episcopus, vt dicit Bernar. episto. 30. ad Eugen. quia deformis vestis, deformitatis mentium, & morum, indicium est. Et infra, O impunitatem, incuriæ sobolem, transgressionum nutricẽ: quando luximus, aut clericum priuatum beneficio, aut episcopum suspensum ab officio?

¶ Rumpor

¶ Rumpor quidē curis, & solicitudinibus pp vos: at isti dolores suaues sunt, vtpote simi-les doloribus & curis, quas matres pro filijs habēt: nam gaudet & lætatur super curis suis. Quamuis enim cura sit amara, tamen qñ impē ditur pro filijs, multum habet voluptatis. *Chrysost. ad suos subditos ho. 4. su. secun. ad Thessalo.*

¶ Ibidem rogat omnes, vt si quis habet querelam contra ipsum, accedat, ad ipsum, vt aut ipse se excuset, aut vt emendet: quia qui tantā multitudinem gubernat, non potest non derelinquere in multis ex ignorantia.

¶ Vt quid dicit Apostolus, Oportet episcopum esse doctoré, nisi vt doceat? Nec satis est quòd doceat exemplo vitę, immo oportet eum laborare in verbo & doctrina. Profecto si præsul non pollet gratia doctrinæ, plurima ecclesiastice disciplinæ, exempla peribunt. Quomodo enim lucerna, si nō lucet? ꝑfecto inseparabile est lucere a lucerna: tenetur ergo lucere quem Dñs voluit habere officiū lucernæ. Et iterū, Tenetur in alto, nō sub modio manere, qa tenetur lucere omnibus, qui in domo sunt. &c. Et licet prædicādi studiū, primū debeat esse inter sollicitudines pastorales, nō tamen omnino deserere debet episcopus negotia causarū forensium, quibus sæpe premebantur sanctissimi viri. Vt enim dicit Possidonius in vita Augustini, aliquando Augustinus vsque ad horam refectionis, aliquādo tota die ieiunans vacabat audiē- *Chrysost. hom. 15. 1. ad Tim. 3.* *Cap. 19.*

dis,& dirimendis caufis chriftianorum,& inter differendum de his, de diuinis rebus eos monebat, & ibi inueftigabat quantum quifq; proficeret,aut deficeret in vita chriftiana:peccantes corã omnibus arguebat. hanc tñ occupationem (tamquã a melioribus rebus diftrahentem) velut angariam deputabat. Et alibi teftatur,quòd fæpe homines concurrebant ad ipfum,vt per eũ caufas fuas dirimerẽt de auro de argento,de fundis,de pecoribus. Et lib. de opere monachorum, fic explicat mentem fuã monachis, Teftẽ (ait) inuoco in animã meam dominum Iefum, quòd quantum attinet ad meum cõmodum,multo mallem per fingulos dies certis horis (quãtum in bene moderatis monafterijs conftitutum eft) aliquid manibus operari, & ceteras horas habere ad legendum & orandum,aut aliquid de diuinis litteris agẽ dũ,liberas; quàm tumultuofiffimas perplexitates caufarum alienarũ pati de negotijs fæcularibus,vel iudicando dirimendis,vel interueniendo præfcindendis. Et fero has moleftias
1. cor. 6. propter Apoftolum, qui voluit quòd etiã cõtemptibiles (qualis ego fum) terminarent has lites chriftianorum, potiufquàm vt negotia chriftianorũ deferrentur in forum: quẽ tamen laborem non fine confolatione domini fufcipimus pro fpe vitæ æternæ, vt fructũ feramus cũ tolerãtia. Serui enim ecclefiæ ipfius fumus

& maxime ĩfirmiorum membrorum. Omitto alias innumerabiles ecclesiasticas curas; quas fortasse nemo credit, nisi qui expertus est. hæc ille. Et ibidem dicit, quòd Apostolus, quia per varia loca discurrebat ad prædicãdum euangelium, numquã legimus de eo, quòd aliquãdo intenderet his causis terminandi, & tamen christianis in loco residentibus hoc onus imposuit, etiam contemptibilibus, si deessent sapientes. Vide etiam. 3. cap. 6. lib. confe. Vbi dicit Augu. quòd Ambrosius iugiter erat circũdatus turba hominum negotiosorum; quorũ infirmitatibus seruiebat: adeo quòd numquã potuit illum inuenire solum, & vacantem: vt posset cum illo communicare æstus suos.

¶ Augu. dicit, quòd quando audiebat causam inter duos litigantes, qui iudicem illum arbitrum faciebant, si sententia pro diuite ferebatur, pauper detrahebat ei dicens, Aliquid ab illo accepit, timuit ostendere illum: fauit diuiti, & toruis oculis respicit iudicem post sententiam: si autem sententia pro paupere contra diuitem lata esset, etiam detrahebat diues dicens, Oppressit iustitiam propter famam: timuit enim argui ne diceretur, quòd contra pauperẽ fecit &c. Ibi habes quantũ deferebãt Principes iudicio ecclesię: nolebãt enim quòd appellaretur a sententijs ecclesiæ ad ipsos. & c. Augu. ps. 25.

¶ Ambro. super illud Psalm. (Deprecatus sum ps. 11

faciem tuam. &c.) admonens non remisse agẽdum cum deliquentibus, ait, In ipsa ecclesia (vbi maxime misereri decet) debet quàm maxime teneri forma iustitiæ, ne quis a communionis consortio separatus, breui lachrymula, atque ad tempus parata, vel etiam vberiorib⁹ fletibus, cõmunionem quam plurimis debet postulare temporibus, facilitate sacerdotis extorqueat. Nonne cum vni indulget indigno, plurimos facit ad prolapsionis contagiũ prouocari? Facilitas enim veniæ, incentiuum tribuit delinquendi.

¶ Vis in turbine negotiorum prædicare, & solas diuinas scripturas meditari? Sẽper tracta cũ negotiatorib⁹ aliquid de ipsis diuinis litteris.

ps. 118. Vnde Agustinus super illud psalm. (Declinate a me maligni) dicit, quòd monebat negotiatores ad se veniẽtes dicens, Stulte hac nocte re-

Luc. 12. petent a te animã tuam. &c. Et quædam alia.

Ber. epist. 12. ad Cart. ¶ Bernar. pressus occupationibus sic ait, Infelix ego homo, natus ad laborẽ, implumis auicula, penè omni tempore nidulo exulãs, vento exposita & turbini; turbatus sum, & motus sũ sicut ebrius: & omnis scientia mea deuorata est. Felices vos, quos abscondit dominus in tabernaculo suo in die malorum; donec transeat iniquitas, sub vmbra alarum suarum.

Chrysost. hom. 3. in acta. ¶ Chryso. de onerib⁹ episcopalis vitæ, Aut ego (ait) sum vehementer miser, & infelix, aut ani-

mus episcopi nihil differt a naui, quę fluctibus iactatur; omnium enim onera gestare debet. Alijs irascentibus datᷓ venia, ipsi vero nequaquam: alijs peccantibus superest excusatio, ipsi non: omnium linguis expositus, omnium iudicijs obiectus, sapientũ & insipientum: curis perpetuis obtunditur, tum diurnis, tum nocturnis: (loquor de illis qui vigilant pro animabus, non de illis, qui ad negotium episcopale, tamquam ad quietem venerunt) quis possit eloqui in dicendo, & docendo solicitudinem? quis difficultatem in electionibus? plus curarum habet episcopus, quàm imperator orbis. Tantum interest inter vnum & alium, quantum inter aquã fluminis vento agitatã, & mare intumescens & insaniens: quoniam imperator habet plures, qui adiuuãt (eo quòd legibus, & mandatis omnia peragũtur) episcopus vero nihil tale: neq; licet ei ex auctoritate pręcipere. Si vehementer commouetur, audit, crudelis est: si parum vehementer, audit, remissus & frigidus est: cum tamen oporteat in eo hæc duo contraria concurrere, vt neque cõtemnatur, neq; odio habeatᷓ. Multos velit nolit, cogitur offendere & obiurgare. Dicã quod sentio, Non arbitror inter sacerdotes multos esse, qui salui fiant, sed multo plures ꝗ pereant. In causa est: quoniam res excelsum requirit animũ, multas enim habet causas, quę depellãt ipsum

a suis moribus; & innumeris oculis illi opus est vndique: quòd alij peccant, illi imputatur. nam si peccat presbyter aut diaconus, omniũ horum crimina redundãt in caput eorum, qui hos elegerunt.

Chrysost. hom. 14. 1.*ad Tim.* 5. ¶ Chrysost. super illud, Si quis suorum curam nõ habet.&c. sic dicit. Si quis aspernatur propinquos genere, atq; affinitate cõiũctos, quomodo erit in alienos clemens? Iudicio quippe omniũ erit obnoxius, si alienos beneficijs fouens, ꝓpinquos summa immanitate despiciat. Dicẽt enim illum esse sine affectione; & affert illud Esaiæ. 58. Carnem tuam ne despexeris .i. cognatos tuos. Deus.n. instituit vincula propinqtatis, vt mutua subesset occasio, nos mutuo diligendi, ac beneficijs cõfouẽdi. O quàm forti patientiæ scuto, quãta animi constantia, simul & benignitate pollere debet pastor, qui iugiter atq; multipliciter linguis hominũ vexatur, importunitatibus exponit᷑: ad quos cũ se habeat tamquã signum ad sagittas, viscera tamen ac sinũ matris debet illis, & ostendere, & expandere: summe cauens ne in eis exerceat, aut sup eos grauet ingenij sui duritiã, & asperitatẽ (si ingenio sit parum miti) cum potius expositus sit, vt oĩm quamtumlibet aspera ingenia ferat, oĩbus se aptando. Hoc summopere debet curare pastor, ne negotia, atq; curæ sęculares totũ cor ei⁹ vinciãt: sed etiã in medio cu-

rarum

tatum conari debet ad libertatẽ animi, ſemper ad deum diuinaq; omnia attendens, & aſpirãs Vt.n. dicit Thaulerus, Homo excercitatus ad hoc puenire poteſt, vt nulla negotia, dicta, audita, facta, & quæuis occurrẽtia ipſum ĩpedire poſſint a ſimplici dei intuitu: qm̃ in omnibus ſolũ deũ diligit, atq; intẽdit. Et iõ quantũcũq; abſurdiſſima audiat, vel videat. &c. celerrime ad deũ vertitur, ſicut qui aliquãdiu in ſolẽ defixit oculos, quicquid deinde aſpexerit, ſolis ei ſpeciẽ quandã reprę ſentat. Lege quæſo epiſtolã Ber. 140. & videbis quibus huius mũdi negotijs ſanctiſſimus ille abbas ſe immiſcebat: q̃ tamẽ iugiter ardebat, & lumine cõtemplationis fulgebat. Igitur in medijs procellis temporaliũ negotiorũ, tunc vel maxime cor ad deum leuandũ eſt, ad implorandã opẽ eius ad explicãdas telas filiorũ Adã: quas multis laboribus, & viſcerũ dolorib⁹ texũt, immiſcẽtes ſe infinitis, ac friuolis quęſtionibus, vt Sapiens deplorat. Cum aũt pſenſeris ꝙ immodicis occupationib⁹, ac negotijs caput debilitať, cor indurať, & areſcit, protinus ad lectionem alicuius libri ſpũalis cõfugias, quẽ ſemp ad manũ habere debes: cuius attẽta lectione diſcutias nubes phãtaſmatũ; ac tandẽ affect⁹ tuus in deũ accendať. Falſiſſimũ.n. eſt, quòd quidã aiunt, videlicet, ꝙ cũ occupationibus paſtoralis officij, nõ poſſit cõſeruari feruor deuotionis. Nõne ſanctus Bonauentura

Thaule. ſer. in domi. infra Epiphan.

Ad Lotharium. imperat.


Ecc. 7.

nauentura in generalatu, cardinalatu, episcopatu eam seruauit, & multi alij? Quando post fastidium, laboremque plurimorum negotiatorum, alius superuenit, absit, quòd eũ a te expellas, aut dure respondeas, aut quouis gestu vel signo impatientiã, & austeritatẽ ostentes: tunc enim maxime patiẽtia, & mansuetudine armari debes. Hoc est enim virtutũ exercitiũ. Inter pastorales curas, præcipuum locum hẽt solicitudo diœcesim visitandi. Est enim visitatio, quasi animã episcopalis regiminis, quoniã per eã pastor se diffundit, & expãdit oĩum suarum ouium commodis, & vtilitatibus. Verus quippe epũs, dum exit ad discurrendũ per omnes parochias, est quasi sol egrediẽs ad illustrã das terras; vt videlicet tres actus illos hierarchicos exerceat, q̃ sunt purgare, illuminare, & perficere. Procedit enim ad exhortandum, prędicandum, arguendum, increpandum, sacro chrysmate cõfirmandum, & vt exploret quomodo sacramenta administrentur, quanta reuerentia & munditia diuinum sacrificium celebretur, denique ad consolandum omnes lugentes, & egentes tam spiritualibus, quàm tẽporalibus commodis. Itaque innumerabiles sunt vtilitates, quæ ex personali visitatione episcopi proueniunt: & inter alias non parua est, quòd præsentia sua potest criminibus mederi: quod non ita vtiliter, & efficaciter per

visita-

visitatores fieri potest. Non enim solis dumtaxat excommunicationibus, criminibus medendum est, aut pœnis alijs: sed potius verbis, auctoritate, & charitate: obsecrando & increpãdo, & mille alijs modis, quos verus pastor, & sponsus animarum excogitat; amans gregẽ quasi sponsam: quam non ita curat mercenarius visitator. Item sępe subditi tam viri, quàm feminæ habent casus aut reseruatos, aut periculosos: quos libenter & fiducialiter communicant suo pastori, & nõ alijs. Habe igitur præ oculis verbum illud apud Luc. Misit (inquit) Dominus discipulos suos in omnem ciuitatẽ, & locum, quo erat ipse venturus. Non sufficit igitur episcopum mittere probos viros, ad illustrãdas parochias: sed oportet & ipsum ire. Cap. 10.

GRAVITAS SIMUL ET AFFABIlitas, atque suauitas a pastore seruanda. Caput. 11.



BERNARD. Esto grauis, sed non austerus, non dissolutus, neque seuerus: sed interea mediocritatem tene, vt neque de seueritate sis oneri, neque de familiaritate contemptui. Austeritas fugat infirmiores, grauitas reprimit leuiores: in palatio papam, domi te patrem familias exhibe; ament te domestici: si Ber. 4. de consi. ad Eugenij.

non, fac vt te timeant. Vtilis est semper custodia oris, quæ tamen familiaritatis gratiam nõ excludat: ille conuenientior habitus, si actu seuerus, vultu serenus, verbo serius.

Greg. Epist. 39. ¶ Grego. docet, quòd cum pastor a subditis de aliquo reprehenditur, non debet ex potestate respondere, sed cum mansuetudine, & trãquillitate reddere rationem facti: afferens ad hoc factum illud Petri, Actuum. 11. quando arguẽtibus eum, quia ingressus fuerat domum Cornelij, humiliter respondit rõne reddita. non enim dixit, ego sum pastor vester, scio quid facio. Si enim (ait) in querela fidelium aliquid de sua potestate diceret, profecto doctor mansuetudinis non fuisset. Debemus ergo reprehẽsores nostros, humili ratione placare.

¶ Grego. Honorem meum (ait) non reputo, in quo fratres meos honorem suum perderé cognosco. Ideo epus honorem debet impendere sacerdotibus: alioquin iuste presbyter poterit ei obijcere illud, Cur ego te habeã vt principé, cum tu me non habeas vt senatorem. 95. distin. Esto subiectus: nam qui contemnit, contennit, & frustra petit debitũ, qui quod debet, nõ impẽdit. Et nihil mirũ, si nõ seruatur fides, non seruanti eã. Igitur quãuis iusta auctoritas, & reuerentia sit necessaria, non tamen te faciat reuerendum aut timendum fastus, sed rigor iustitiæ: non pompa, sed grauitas, & seueritas.

tas. Pauperculis, ac simplicibus exhibe te facilem, ac omnino accessibilem, imitatus Syluestrum papam, de quo legitur, quòd tanto vnũquemque amplius honorabat, quãto sanctius cum viuere didicisset: non attendens ad fastum aut potentiam, sed ad morum elegantiã.

¶ Quantumcumq; iniqua, vel non concedẽda petant, etiã ab indignis, nõ ideo dure aut aspere respondẽdũ est, sed leniter: neq; tamẽ faciẽdũ quod iniuste petitur. Omnis namq; euangelica perfectio (ait Caieta. Matth. 11.) reducitur ad studiũ humilitatis, & mãsuetudinis. Per humilitatẽ expãdimur diuinis gratijs, & donis: p mãsuetudinẽ vero expandimur ꝓximis. Ideo Saluator ait, Discite a me ꝗa mitis sum & h. c. *Mat.* 11.

¶ Verbum dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos, Et lingua gratiosa in bono homine abundat. *Ecclci.* 6. Et ad Roma. 12. Si fieri potest, quod in vobis est, cum omnibus hominibus pacẽ habẽtes. Et, Quę de sursum est sapientia, primum pudica, deinde pacifica est. Iacob. 3.

¶ De benignitate, ac suauitate pastorum habes pulchra verba apud Ber. Charitas (inquit ille) patiens est, benigna est: patiens est, cum dissimulat, expectat, sustinet delinquentem: benigna est, quando trahit, adducit, & cõuerti facit ab errore: Charitas benigna, etiã quos tolerat, amat, & amat ardenter. Flet ꝗppe charitas, sed ex amore, nõ ex mœrore: flet ex desiderio,

flet

flet cum flentibus. O bona mater charitas, quæ siue foueat infirmos, siue exerceat prouectos, siue arguat inquietos, diuersis diuersa exhibens, sicut filios diligit vniuersos. Cum te arguit, mitis est: cum tibi blanditur, simplex est: pie solet sæuire, sine dolo mulcere: patiēter nouit irasci, humiliter indignari, læsa non prouocat, spreta reuocat. Pōdera quod de Domino dicitur Esai. 42. Non erit tristis neq; turbulentus: calamum quassatum non conteret, & lignum fumigans non extinguet.

Ber. serm. 23. super cant. ¶ Bernar. de benignitate pastorū, Pastor (ait) bonus omnibus se conformat, omnium in se transfert affectus: matrem se probat non minus deficientium, quàm proficientiū. Multos videmus, q̄ quod crassum est, & forte assumētes, quod debile est proijciunt. Numquid medicus valentes requirit, & nō potius ægrotantes? Quos docebis magister bone, si omnes indoctos repuleris? In quibus probabis tuā patiētiam, si solos admiseris mansuetos, inquietos excluseris? Sciunt quippe boni, fidelesq; præpositi, languentium sibi creditam curam animarum, non pompam: cumque internum murmur cuiuspiam illarū, quærulæ vocis indicio deprenhendunt, & in ipsos vsq; ad cōuitia, & contumelias prorumpentis, medicos se, nō dominos agnoscentes, parant confestim cōtra phrenesim animæ nō vindictā, sed medicinā.

¶Bonus

¶ Bonus prçlatus, sic debet esse humilis & affabilis, quòd tamen eum subditi revereantur. Pondera ad hoc, quòd apostoli non sunt ausi quærere a Domino, quid aut cur loquebatur cum Samaritana. Et Ambrosium diu dormiẽtem iuxta altare, non audebant sui excitare. Et Iob, Videbant me (ait) iuuenes, & abscondebantur. Apostolus præterea (vt Grego. annotauit) alibi quidẽ dicit, Quamdiu sum gentium apostolus, ministerium meum honorificabo, ad Roma. 11. Contra vero. 2. ad the. 2. Facti sumus (ait) paruuli in medio vestrum: ex quibus verbis exemplum dedit episcopis, vt humilitatem teneamus in mente, & tamen nostri ordinis dignitatem seruemus in honore: quatenus nec in nobis humilitas timida, neque erectio sit superba. *Iob. 29.* *Gregori. Epist. 36. lib. 4.*

¶ Idem Greg. In tuis (ait) literis ex humilitate sermonis patuit cordis tui altitudo, ac tuæ mẽtis feruor: nisi enim prius in se faces ardeant, alios nõ succendunt. Vidimus enim, qui litteras tuas legimus, quanta charitate tua mens ardeat, qui sic alios accendisti. &c. Cor episcopi arca testamenti est; in quo manna dulce charitatis, sapientia legis, rectitudo iustitiæ in virga signata, continentur. *Gregori. Epi. 125. ad Lean.*

¶ Cauere debet prælatus a duris verbis (nisi quando necessitas disciplinæ ea dicere compellit) etiam ab his, quæ forsitan sibi leuia videntur.

Bernad. ferm. 29. ſup. Can. dentur. Nam vt Bernardus ait, Quod tu leue putas, & ob hoc leuius præcipitas, plerumque alius aliter accipit tamquam homo videns in facie, & ſecundum faciem iudicans: paratus feſtucam trabẽ ſuſpicari, & ſcintillam putare fornacem. Non enim eſt omniũ charitas illa, quæ omnia credit. Proni ſunt autẽ ſenſus hominis, & cogitationes ad malũ potius ſuſpicãdum, quàm ad bonum credendum: præſertim vbi diſciplina ſilentij, nec te (qui in cauſa es) excuſare permittit, nec illum vulnus ſuſpitionis aperire quod patitur, vt curetur. Ita vritur ille, & moritur clauſo, & lætali vulnere, intra ſemetipſum gemens, dum totus in ira, & diſceptatione poſitus, nihil aliud ſilens verſare in mẽte poſſit, niſi iniuriã quam accepit: non põt orare, non põt legere, non ſanctũ, aut ſpirituale aliqd meditari. Et ita intercepto vitali ſpiritu, dum ſuis deſtituta alimẽtis vadit ad mortẽ anima (pro qua Chriſtus mortuus eſt) quid tu interim quæſo animi habes? Quid oratio tua, aut opus quodcũq; interim feceris ſapit tibi: contra quẽ nimirũ Chriſtus anxie clamat de pectore fratris tui, quẽ contriſtaſti: *Cant. 1.* filius (inquiens) matris meæ pugnat contra me, & *pſ. 54.* Qui ſimul mecũ dulces capiebat cibos, repleuit me amaritudine? Quod ſi dixeris illum nõ tam grauiter pro tam leui cauſa debuiſſe turbari, reſpondeo, Quanto leuior eſt, tãto a te leuius potuit

non cōmitti. Quamquam nescio, qd leue dicas (vt iā dixi) quidquid amplius est, quàm irasci, cū vel hoc ipsum obnoxiū esse iudicio, ex ore ipsius acceperis iudicis? Audiant hoc prælati, qui sibi cōmissis semper volūt esse formidini, vtilitati raro. Erudimini, qui iudicatis terrā. discite subditorū matres vos esse debere, nō dominos: studete magis amari, quàm metui. Et si interdum seueritate opus est, paterna sit, nō tyrannica. Matres fouendo, patres vos corripiendo exhibeatis, mansuescite, ponite feritatem, suspendite verbera, producite vbera, pectora lacte pinguescant, non typo turgeant, Quid iugum vestrum super eos aggrauatis, quorū potius onera portare debetis? Cur morsus a serpente paruulus fugit conscientiam sacerdotis, ad quem eum magis oportuerat, tāquam ad sinū recurrere matris? Si spirituales estis, instruite huiusmodi in spiritu lenitatis; cōsiderās vnusquisq; seipsū, ne & ipse tētetur. Bernar. su. cant. serm. 23.

MISERICORDIA ET LARGITAS *Episcoporum. Caput. III.*



E hoc habes notanda verba distin. 86. cap. Fratrem, vbi sic habetur; episcopus largam habeat manum, necessitatem patientibus succurrat, alienam inopiam suam credat; quia si hoc

non habet, in vacuum nomen episcopi tenet. In ipsa autem libertate, modus adhibēdus est rerū & personarum: rerum (inquam,) vt non omnia vni, sed singulis quædam præstentur, vt pluribus prodesse possimus (iuxtà illud,
Psal. 111. Dispersit, dedit pauperibus) personarū vero, quia primo iustis debemus dare &c.

¶ Et ibi cap. Non satis, & sequentibus, exponuntur circumstantiæ, quæ attendendæ sunt in executione liberalitatis, scilicet fides, causa, locus, tempus, modus, necessitudo, ætas, debilitas, cōditio. Grandis culpa est, si fidelis egeat te sciente: ille præcipue qui egere erubescit. Item probāda est alia liberalitas, vt proximos sanguinis tui nō despicias; quib⁹ pudor est ab alijs poscere: non vt illos diuites facias, sed vt
Dist. 86. considerā da. Amb. 2. offi. c. 2. paupertatem, & rerum iubes. Considera ætatem, vt senibus plus largiaris, qui sibi iam nequeunt victum quærere. Considera etiam debilitatem: considera verecundiam, quæ ingenuos prodit natales. Nō tamen vult Dominus simul effundi opes, sed dispensari: & in ipso pauperis dato mensuram tenere, vt abundes pluribus. Quanto enim minora sunt, quæ sparguntur, tanto plures erunt qui recipiant. Ex puro affectu, ac sincero fiat eleemosyna, non conciliandi fauoris gratia vltra modum effundendum. Omnia hæc ibi ex Ambrosio.

¶ Ex eodem etiam habetur. 12. q. 2. aurum,

Aurum habet ecclesia, non vt seruet, sed vt eroget, & necessitatibus subueniat. &c. Melius est, vt vasa viuentia serues, quàm metallorum. Sed respondebis, Timui ne templo dei deesset ornatus. Dico tibi, quòd aurum sacramenta non quærunt: neq; auro placent, quæ auro non emuntur. ornatus sacrorum, redemptio captiuorum est. &c. Et Ambro. ipse fatetur, se aliquando in inuidiam hominum incidisse: quia fregit vasa dominica, ob redimendos captiuos, vt habetur. 86. distin. Pulchrarũ.

¶Quomodo misericordiæ opera, & eleemosynæ sunt efficacia media, ad obtinendam gratiã deuotionis, & diuinas illuminationes, habes Esaiæ. 58. Cum (ait) effuderis esurienti animã tuam (scilicet per compassionem) & animam afflictam repleueris (scilicet per necessariorum subuentiones) orietur in tenebris lux tua, & tenebræ tuæ erunt sicut meridies, & implebit dominus splendoribus animam tuam. &c.

¶ Chrysost. dicit, quòd liberalis anima non sinit nostras lampades extingui: internas vestes ex rubeis candidiores niue facit. Hæc est, quæ in perpetuum tibi seruat, quę hic possides: hęc facit præclaros homines hic, & in futura vita. Melius namq; est, habere famã misericordis, humani, benigni, quàm eloquentissimi oratoris. Hæc ille. Tu igitur memento, vt misericordiæ potius, quàm liberalitati seruias: mise- *Chrysost. hom. 53. su. Mat.*

ricordia enim pietatem parit, liberalitati vero sæpe vanitas insidiatur.

Greg. in 3. par. pas. C. 21. ¶ Grego. ponit prudentiam largiendi. Primo enim attendendum, ne sero præbeatur, quod cito dandum est, iuxta illud, Ne dixeris amico tuo: uade reuertere, cras dabo tibi, cum statim possis dare. Secundo, ne sub specie largitatis inutiliter spargant sua, aut multa dent, vbi pauca sufficerent, iuxta illud ad Corinth. 8. Nõ vt alijs sit remissio, vobis autẽ tribulatio. qui enim ita sua effundunt, vt postmodum egeant, frequenter in impatientiam præcipitãtur. Tertio, ne totaliter vacuum dimittant pauperem, cui semper aliquid, vel parum dandum est, iuxta illud Luc. 6. Omni petenti te, tribue. Quarto, ne aliquid demus, cui nihil penitus dandũ est, vt histrioni &c.

Gregor. Epist. 13. ¶ Grego. scribens Dominico episcopo, commendat ei quadam viduam dicens, Officij sacerdotalis est, vt viduis ac maritali regimine desolatis, impartiri solatia debeatis; vt vnde in hoc mundo humana consolatione priuantur, sacerdotali tuitione possint remedia reperire.

Epist. 57. ¶ Greg. intercedens pro quandam vidua; Si in proximorum (ait) necessitatibus habita compassione, benigna mente occurrimus, nostris proculdubio petitionibus clementẽ dominũ reperimus. & iubet illi dare certã annonam. Et alijs plurimis epistolis commendat viduas, ac iu-

ac iubet episcopis, quòd sint vt earum mariti. Iubet etiam, vt varijs personis egētibus, ac monasterijs detur annona ex proprijs redditibus.

¶ Idem ad Bonifacium episcopum, postquàm commendat eum, quòd operibus misericordiæ vehementer insistebat, subiungit. Sed illud (fateor) non leuiter mentem meam momordit, quòd eadem opera multis, vos ipsi nuntiastis. Ex qua te collegi, quòd mens vestra nō studeat dei oculis, sed humano iudicio placere. Vñ necesse est frater charissime, vt cū bona exteri⁹ agis, hæc interius cū magna cautela custodias: ne appetit⁹ placēdi hoībus subrepat, & omnis labor boni operis in cassum fiat. *Greg. Epist. 43 lib. 2.*

¶ Idem. 92. Quidam miserat ei pecuniam, vt in eleemosynas dispensaret; respondet. Quòd triste sibi erat hoc facere, quia vltra onus, qđ habebat reddendi rationem deo, quomodo dispensabat redditus ecclesię, addebatur ei nouū onus reddendi etiam rationem, quomodo dispensabat alienas pecunias. Et dicit illi, Orate vt ego discrete dispensem, ne vnde vos peccata minuitis, nos inde cumulemus. Et alibi in simili casu dicit, Oro vt Dominus mihi concedat, absq; peccati contagio dispensare, ne maculer, vnde vos peccata detergitis. *Gregor. Epist. 25 lib. 6.* *Epist. 23*

¶ Ibidem contra quendam, qui sub xenij specie nonnulla a quodam monasterio sustulerat, dicit, Sine dilatione restitue, ne auaritiæ culpa te redar-

redarguat; quē largū erga monasteria sacerdotalis, magis debuerat munificētia demōstrare. ¶ Idem, Sic operibus misericordiæ iuxta virtutē substantiæ insistat, vt tamen supra virtutē
Epi. 20. insistere cupiat. Et alibi arguit ipsum, quia subtraxerat eleemosynas consuetas a suo prædecessore, sub quadam prouidentiæ specie, dicens, ꝙ quamquam laudabile sit futura prospicere, infirma tamen est cautela, quæ pietatis adiutorio non munitur: pręsertim quia quod tribuitur pauperi, nō est donum, sed mutuum: quia quod datur, multiplicato sine dubio fructu percipitur. Hæc ille. Immo etiam appellatur depositum. Vnde fidenter cum Apostolo
2. Tim. 1. dicere potest eleemosynarum largitor, Scio cui credidi, & certus sum, quia potens est seruare depositum meum in illū diē: præsertim episcopus, qui non dat parta, aut hæreditate acquisita: sed ea quæ sibi, vt daret, data sunt.
Gregori. Epi. 21. lib. 11. ¶ Idem arguit valde Abbatem cuiusdā monasterij, quia diu distulit petere ab eo eleemosynam annuam ad quoddam monasterium sustentandum. Et hoc (vt ille fatebatur) ex erubescentia. Arguit autem eum, tum quia certū est quòd ille minus amatur, qui adhuc erubescitur: tum quia ipse non dispensabat res suas, sed pauperum. Et valde (ait) accusabilis est verecundia, non petere a diligente, & tenente locum dispensationis in rebus pauperum. Pondera

dera hæc o paſtor: non largiris tua, ſed alienã. Quid ergo mirum, quòd tota die luſtrent domum epiſcopi pauperes, cum ſit ea domus diſpenſatoris rerum ipſorum? Poſſent enim vociferare ad valuas, immo vſq; ad ſecretum cubiculum dicentes, Da nobis noſtra, alioquin contra te vociferabimus ad dominum rerum, tuæ diſpenſationi commiſſarum, dicentes, Domine non vult nobis dare, quæ illi vt nobis daret, dediſti.

¶ Bernar. ad Henric. epiſcopum Senonen. Clamant pauperes ad pontifices. cur in ſuperfluitates veſtras conſumitis, quæ noſtris debentur neceſſitatibus? Noſtris enim neceſſitatibus detrahitur, quidquid accedit vanitatibus veſtris. Quid conferunt tot mutatoria? Noſtrũ eſt quod effunditis, nobis crudeliter ſubtrahitur, quod inaniter expenditis: nos ſumus fratres veſtri, & vos de noſtra portione paſcitis oculos veſtros, & ita vita noſtra cedit vobis in ſuperfluas copias. Duo mala ex eadem radice prodeunt, dum vos ipſos vanitatem ſequendo perditis, & nos ſpoliando perimitis. Et quæ ſic conſumitis, neq; labore manuum, neq; negotiationis ſtudio, neq; iure hæreditario poſſidetis: ſed bona noſtra ſunt. Et quamuis hi pauperes (ait) modo non audeant aperire os aduerſum vos, & exigere partem ſuam; quibus interim pro ſua vita neceſſe habẽt potius *Bernar. Epiſt. 42*

ſupplicare : tamen in futuro ſtabunt in magna conſtantia aduerſus eos, qui ſe anguſtiauerũt : ſtante pro eis patre orphanorum, & iudice viduarum, qui dicet vobis, Quamdiu non feciſtis vni ex his minimis meis, nec mihi feciſtis.

Matth. 25.

¶ Idem, Vnde exiſtimas epiſcopis noſtris exuberare hanc rerum affluentiam, veſtium ſplendorem, menſarum luxuriam; &c. niſi de bonis ſponſæ? Inde eſt quòd illa pauper, & inops, & nuda relinquitur, facie miſeranda, inculta, hiſpida, exanguis : cum munus illorum ſit cuſtodire, & ornare ſponſam. Iam non eſt in hoc tempore ornare ſponſam, ſed ſpoliare: non cuſtodire, ſed perdere : non inſtruere, ſed proſtituere : non paſcere, ſed mactare & deuorare, quibus dicit Dominus, Qui deuorant plebem meam, ſicut eſcam panis. Nam plus vigilant ſubditorum euacuandis marſupijs, quàm vitijs extirpãdis. Alto demerſi ſunt obliuionis ſomno, ad nullũ dñicę cõminationis tonitruũ expergiſcũtur: vt vel ſuũ periculũ expaueſcant. Inde eſt ꝙ nõ parcent ſuis, qui nõ parcunt ſibi, perimentes pariter, & pereuntes.

pſ. 13.

¶ Greg. 12.q.2. Religioſam (ait) vitam eligentibus, cõgrua nos oportet conſideratione proſpicere: ne cuiuſquam neceſſitatis occaſio, aut deſides faciat, aut aliqd ſanctæ conuerſationis infringat. Et Ber. dicit, Egenis, & maxime incluſis curã impẽdite. Et ad regẽ ſiciliæ dicit, ꝙ

Gregori. 12. q. 2. Epi. 206. ad regin. Hyeruſa. Epi. 207.

egenis,


egenis, & nō cupidis dandæ sunt eleemosynæ: quia scriptum est, Beatus qui intelligit super egenum & pauperem, non super cupidum, illum inquam pauperem, qui inuite petit, verecunde accipit, & accipiens glorificat patrem suum, qui est in cælis. *ps. 40.*

¶ Augustinus dicit hæc verba, Consanguinei veniunt ad me, aliquando cum minis, aliquādo cum blandimentis, dicentes, Da nobis aliquid pater, caro enim tua sumus, Et tamen dei gratia, & vestris orationibus, nondum ditaui aliquem consanguineum: quia chariores mihi reputo pauperes, quàm diuites: quia bona ecclesiarum patrimonium pauperum sunt. Et ser. 52. qui est penultimus, & est indubitatus Augustini, dicit, q̄ necesse habet episcop⁹ exhibere humanitatem assiduam quibusq; venientibus, siue transeuntibus: quod si nō fecerit, inhumanus sit. Ecclesiastici, q̄ multa colligentes a populo, pauca largiunt̄, & fere omnia cōsumūt, sunt illi de quib⁹ scriptū est, Qui deuorāt plebē meam, sicut escam panis. O diligentissimi exactores decimarū, primitiarū, votorū, & negligētissimi datores verbi dei. Dicite quęso quomodo in morte, fiducialiter commendabitis animas vestras domino; q̄ hic pauperes eius nō pauistis? Omnis vestra cura est, vt redditus ecclesiæ non minuātur: de diminutione vero fidei, & charitatis minor est solicitudo. *August. ser. 21. ad heremi.* *ps. 15.*

Ille dicitur bene rexisse ecclesiá, qui opes eius auxit, etiam si in curandis quibus negligentior fuerit: cum tamen beatus Greg. ęstimatus fuerit a successore suo, dissipator opum ecclesiæ. Dist. 82. ex Conci. Aurelianen. Anno. 520. dicitur, episcopus pauperibus, vel infirmis, q non possunt laborare, largiatur victum & vestitum, quantũ possibilitas tulerit. Et in Conci. Aurelianen. 50. (quod est prouinciale) & celebratum est circa annum. 580. habes, quòd illi qui sunt in carcere ecclesiastico ob aliqua delicta, ab archidiacono vel præposito ecclesiæ visitentur, iussu episcopi: Et episcopus deputet personam, quę eos in suis necessitatibus de bonis ecclesiæ sustentet. Et ibidem subiungitur, quòd episcopus inter omnes egentes, præcipue curam gerat infirmorum: qui vltra laborem infirmitatis, constringuntur inopia: illisq; victum & vestitũ prouideat. Et in Con. Matisconen. 20. dicit, quòd domus episcopalis ad hoc est instituta, vt sine personarum acceptione, omnes in hospitalitate recipiat. Et ideo non debet habere canes: quia non morsibus & latratibus canum, sed hymnis custodienda est domus eius: ne hi qui confidunt ibi se inuenturos leuamen miseriarum suarum, versa vice morsibus canum lanientur. Et Hieron. in epistola ad Titũ. (Et adducitur in conc. aquisgrani) habet hæc verba, Domus episcopi debet

debet esse cõmune hospitium omnium: laycus enim vnum, aut duos, aut paucos recipiens, impleuit hospitalitatis officiũ: episcopus nisi omnes receperit, inhumanus est.

STVDIVM PRÆLATI, IN ORAtione, contemplatione, ac sacrificij oblatione. Caput. IIII.



IT episcopus singulis per cõpassionem socius, super omnes contemplatione suspensus, interiorum curam, exteriorum occupatione non minuens, exteriorum prouidentiam internorum solicitudine non relinquens. *Grego. in past. par. 2. c. 5. in prin.* Pondera verba B. Thom. 22. q. 135. art. 2. ex August. quòd ob sarcinam pastoralem, non est deserenda delectatio contemplationis.

¶ Væ tibi episcope, si fons deuotionis in te siccatus fuerit. Quid aliud est deuotio, quàm fons aquæ viuæ, rigans omnia nostra virtutis exercitia (quæcumq; sint illa) sine qua mox arescunt? Est etiam vinum cæleste cor hominis lætificans, est balsamus omnem sanans passionem, est cibus animæ, est lingua qua cum deo loquimur: qua carens, non habet linguã, vt cum deo loquatur (vt Ber. ait) est manná de cælo. &c. Ipsa est quæ dicit, Spiritus meus super *Eccle. 24*

ſuper mel dulcis. &c. At non datur diligentibus terrenas conſolationes, in menſa, in honoribus &c. ſicut neq; māna datū eſt, niſi dimiſſis cepis & alijs ægypti. Fauū dulciſſimū deuotionis, nō poſſunt fabricare porci, ſed apes ſolicite volātes ſuper flores vitę Chriſti &c. Dulcedo internorū exercitiorū, eſt cibus animæ: quo confortatur ad laborandū in vinea Domini; & portandum pondus, & æſtus externorū negotiorū. Etiā in vertiginibus cauſarum ſæculariū, ſemper maneat quædā candela accenſa in pectore noſtro. Poſt has autē vertigines, confugiat paſtor ad leuamen orationis, & ad colloquium familiariū ſpiritualium, quos habere debet, quemadmodum diuus Gregor. facere ſolitus erat. Vnde idem in Paſtorali dicit; Quia valde inter humana verba cor noſtrum defluit, & vſus humanæ cōuerſationis indeſinenter deſtruit vim ſolicitudinis, atq; prouidę circumſpectionis erga cæleſtem vitam, oportet quòd per meditationem ſacrorū eloquiorum, iugiter reſtauretur. Et quoniam ad vetuſtatem vitæ, per ſæcularium ſocietatē ſemper itur, ad amorem ſpiritualis patriæ, cōpunctionis aſpiratione ſemper renouetur. Cumq; indubitanter conſtet, ꝙ exterius occupationū tumultibus cor a ſemetipſo impulſum, corruat: ſtudere inceſſabiliter debet, vt per orationis, & meditationis ſtudium reſurgat. Ideo Dauid

par.2. c.11. ante med.

rex

rex dicebat, Quomodo dilexi legem tuam? tota die meditatio mea est. Numquam etiam (ait idem) rector a sacræ lectionis studio recedat. Prouerb. 5. dicitur, Bibe aquã de cisterna tua: ac deinde fluenta deriuẽtur in plateas: quia vt (ait Gregor.) prædicator debet prius potare de sapientia sua, deinde in alios diffundere. ps. 118. In past. p. 3. c. 25 a med.

¶ Heu me, quia cum crederem me, saltem noctibus in amplexu meæ Rachelis, idest vitæ cõtemplatiuæ quieturum, clanculum me inuito introducitur Lia. idest cura & cõsideratio diurnorum negotiorum. Greg. admonens episcopũ carthaginen. ita ait, Et si cogamur terrenis negotijs intendere, mens tamen nostra sæculari varietate non defluat: sed tota in vnum currat, atq; confluat finem; de quo Dauid, Vnam petij a Dño, hãc requirã &c. In hoc mẽs se tota suspẽdat; tunc.n. vere atq; bene, ad opera dilectionis ꝓximi descẽdimus, si ex toto corde & viribus in ardenti dei dilectione persistimus. Timeo tibi Eugeni (ait Bern.) ne multitudo cõtinua negotiorũ (intermissa oratione & cõsideratione) te ad cor durũ ꝑducãt, qđ deuotione nõ incalescit, cõpassione nõ mollescit, cõpũctione non scinditur, & seipsum nõ exhorret, quia nec sentit. Vnicũ refrigerium laborũ episcopi debet esse, quãdoq; confugere ad solitũdinẽ, ad orandum & meditandũ. Vnde Marc. 6. habetur, quòd cum apostoli renunciassent Gregor. Epi. 62 lib. 5. ps. 26. Bernar. de consi. ad Eugenium.

Domi-

Domino omnia quæ egerant, & docuerant
Mar. 5. dixit eis Dominus, Venite seorsum in desertũ locum, & requiesc ite pusillum. Officium sacerdotis est, sacrificare, orare, docere, visitare (si est episcopus) Quid dignius, & quid ouibus vtilius, quàm pastorem offerre quotidie vitam, & passionem Christi deo patri pro eis?
ps. 165. Benedictus dominus, qui non amouit orationem meam, & misericordiam suam a me: hoc est, nõ amouebit misericordiam suam, quamdiu ego non amouero orationem meã. Quanti feruoris debet esse, qui vi sui feruoris debet frigidos calefacere? Idoneus non potest esse ad
Cyprian. Epist. 2. martyrium, qui ab ecclesia non armatur ad prælium: & mens deficit, quam accepta eucharistia non erigit, & accendit.
Machar. hom. 40. ¶ B. Macharius ægyptius: perseuerare (inquit) in oratione, est caput totius boni instituti; ac vertex omnium honestarum actionum; cuius beneficio reliquas virtutes a Domino obtinemus. Monasteria sunt officinę virtutum; ex
Ambro. lib. 10. epist. 28. quibus multi monachi conducti ad episcopatus officium, pluribus virtutibus (quibus in monasterijs fuerant assuefacti & durati) emicuerunt. Diligenter negotia sunt agenda, sed non anxie. Memento quòd omnia debent seruire spiritui: ne pedes supra caput erigas, neo caput ad vtilitatem pedum deprimas. Semper liber atq; expansus permaneat spiritus ad radios

dios Domini: & poſt orationẽ igneā, maneant cineres æſtuantes ad tempora negotiorum. Ad hoc igitur ſumme annitendum, ſummiſq; gemitibus a Domino petendum, vt in turbine negotiorum etiamſi obruere animum videantur, animus tamen ſemper liber, ſecurus, magnuſq; Domino ſiſtatur. Debemus ergo negotia diſponere, & non eis immergi, habẽtes oculos ad Dominum erectos, ac fidentes: dicendo intra nos illũ pſalmũ, Leuaui oculos meos &c. *pſ.* 120.
Pondera verba dicta epiſcopis, Actuum. 20. Attendite vobis, & vniuerſo gregi, primũ vobis, deinde gregi. Occurrentibus difficultatibus, periculis, criminibus curandis, beneficijs aut officijs diſtribuendis &c. mox toto corde ad orationem confuge, ad patrem luminum & conſolationũ &c. hęc enim iugis impulſio ad orãdum, magna occaſio eſt proficiẽdi. Dicas igitur, Domine tibi ſoli, in hoc opere placere cupio: illumina ergo faciem tuam ſuper ſeruum tuum. Væ tibi paſtor, ſi omiſſa paulatim oratione, ac proinde cognitione tui, & officij atq; oneris tibi impoſiti, incipias ſine ſanctis, & rationabilibus ſcrupulis viuere, cũ oporteat indies illis pungi & corrodi: & lumen ſemper a deo petere. Forte Dauid cecidit, quia paulatim in exercitijs ſpiritualibus remiſſior factus fuerat. Quando paſtorem contingat incedere magna ſtipatum caterua, &c. tũc
vel

vel maxime mẽs erigẽda in deũ eſt, vt eo tẽporis articulo faciebat Ber. recogitãs illa eſſe pura ſomnia, culiceſq; circunſtãtes, mortaléſq; morituros. Ad hoc autẽ oportet diligenter, mentẽ ſpirituali bitumine linire, ſicut in arca Noe factũ eſt: quoniam per poros etiã corporis ingredi poteſt, & ventus, & aqua. Iactauerunt te in vndas oceani, in ſumma pericula ſalutis: væ tibi ſi incipias gaudere de cathedra, & paulatim ſanctum amittere timorem: cum oporteat
pſ. 21. iugiter clamare ad Dominum (Circundederũt me dolores mortis, pericula inferni inuenerũt me &c.) cõſtanter operando, quę oportet vſq; ad mortẽ, magnos & continuos ſemper deuorando labores. Quidam vir probus dicebat, illum ſcopulum maxime timendum epiſcopo (ne ad eum nauem illideret) videlicet, ſi obrutus negotijs externis, ac proinde affectu intus arefactus, tepide oraret, & exercitia ſpiritualia intermitteret, aut minueret: ac deinde frigidos atq; parum vtiles ſermones haberet, vel prorſus dimitteret. Hoc enim fit, vt actus eſſentiales, & principales dimittat, propter minus principales: ac deniq; paulatim in defectus, & vitia labitur. Contra quod periculum non video aliud remedium, niſi vt pręter quotidianæ orationis exercitium, etiam cum maxime negotia feruent, nõ tradere totum cor illis, ſed inter ea ſemp ſeruare anhelã affectionẽ

ad deū. Dic. n. mihi, nōne in oī negotio de⁹ est? ibiq; inueniri pōt, vt finis? vt auctor? vt iussor? vt cooperator, ac cōsultor? &c. Intuere igitur eum ibidē, qñ negotiū tractat; & tūc intus requiesces: & dilatabit, illuminabit, lætabit cor tuū. Atq; hoc ipsum summis gemitibus a deo impetrare cōtende. Cur dicis, Nō suppetit tempus ad spiritualia negotia? Nonne nostris temporibus multi sācti episcopi (vt B. Antoninus) nō solū tēpus habebant ad orandū, & sacrificādū, sed etiā ad scribendū tot libros, & prædicādū? &c. Vilissimus omnino est (nisi sanctitate & scientia præcellet) qui est dignitate præstantior. 1. q. 1. Vilissimus a Symacho Papa. Quòd si contingat eū, qui ad episcopatū eligit, nō ea effulsisse sanctitate quæ episcopū decet, dū in minoribus agebat: saltē postquā in candelabrū erectus est, satagere omnino debet, vt vita respondeat nomini, & loco. Triplex est status mentis in homine implicato negotijs, simulq; deum quærente. Primus, quando habet otiū: tūc. n. mēte, & affectu vehemēter debet in deū ferri, atq; operā dare, ne imagines, quæ tunc (velimus nolimus) sese ingerunt, trahant cor post se: sed etiā si circumuolent nos, mēs tamē super omnia tēporalia stabiliatur. Secūdus, qñ vacat negotijs omnino ebibētibus attentionē omnē: ut quādo quis supputat, aut legit aliqd difficile intellectu, aut audit negotium varijs

nodis implicitum: quod oportet recte intelligere ad sententiam iuste ferendam &c. Quo tempore, quamuis non maneat actualis amor dei, neq; simplex ille intuitus ipsius, manet tamen quędam impressio amorosa relicta ex frequentia actualis amoris; quæ magnam pacem, & quietem affert exercitatis: quam non amittunt etiam in ipso negotiorum turbine: & per quam (illis transactis) mox redeunt ad centrũ ac thesaurũ suum, immittentes sagittas actualis amoris. Tertius vero status est, quando intendit communibus negotijs, quę non ita magnam exigunt attentionem: quibus non ita magna pars cordis tribuenda est, vt non sua etiam particula deo reseruetur. Quid stultius dici potest, quàm (quoniam officium pastorale est multis negotijs implicitum) ideo non sit quotidie celebrandum. Immo quia tale est, oportet, vel spatiũ celebrationis separare domino ad munimen contra tentationes, ad lumen in negotijs, ad cõsolationem inter tot afflictiones, vt vel tunc respirare liceat. In pastorali officio multa sunt quę deuotionem nutriunt, scilicet continuæ vexationes, & angustiæ. Nam Ioannes exul in pathmos insula, vidit secreta cælestia: & Stephano inter ictus lapidum, diuina ei claritas fulsit. Compellunt enim angustiæ ad deũ clamare. Vnde Deut. 8. dicitur, Afflixit te penuria, & dedit tibi cibum manna.

mãna. Et apostoli, & ꝓphetę iter pſſuras mũdi ardebãt deuotione. Et attẽde, ꝗ ſicut iudæi tãtũ colligebãt de illo ſuo manna, quantũ erat neceſſariũ; atq; ſufficiens ad totã diem: ita oportet virum diurnis horis occupatũ, tantum nocturnis vacare exercitijs, quantum ſufficiat ad ferenda dulciter officij onera propter deum.

¶ Auguſtinus poſtquã dixit, quòd numquam poterat longiori mora quęrere aliquid ab Ambroſio, propter turbas negotioſorum hominũ, quorũ infirmitatibus iugiter ſeruiebat, addit; quòd cum ſępe ingrederetur cubiculũ eius (nõ enim vetabat aliquis intrare) eramus (inquit) ibi in diuturno ſilentio ipſo tacite legẽte (quis enim auderet eſſe oneri, ſic intẽto?) deinde diſcedebamus: & cõiectabamus eum illo paruo tempore (quod reparãdę mẽti ſuæ naciſcebatur, feriatum ab ſtrepitu cauſarum alienarum) nolle in aliud auocari. Denique frequenter, qui illum adibant, (ne illum perturbarent) taciti reuertebantur, licet ipſos vidiſſet. *Augu. liber. 6. cõfe. c. 3.*

PVRITAS INTENTIONIS, ET *conſtantia, ac immutabilitas animi in ſanctis decretis, & conſilijs.* Cap. v.

PVRA intentio (ait Bernar.) conſiſtit in ſola quærenda dei gloria, & populi ſalute. Ille ſit ſcopus & finis, qui retributionem eſt daturus. Vt quis ſit bonus iu-

dicio hominum, parum sufficit misertimis his temporibus; ceterum vt in oculis dei bonus sit, multum exigitur. Ad hoc ergo mori debet in te spiritus humanus, cũ omnibus suis actibus, & affectibus inordinatis. Siritius papa (qui successit Damaso anno 388.) in. 4. Episto. ad episcopos, terret eos verbo illo Luc. 12. Cui multũ creditum est, multum requiretur ab eo: & cui commendauerũt multũ, plus petent ab eo. Qui sacerdotem seu pontificem dicit, augustiorem, prorsusque diuinũ insinuat virum, totiusque sanctæ scientiæ peritissimum. Non quid, sed propter quid faciamus in illa vltima examinatione quærendũ est. Ibi etiam cap. 15. definit, quid sit diligere deum: Est (inquit) animum illi totum tradere, concipere fruendæ visionis eius affectum, peccati odium, & mundi fastidium. Nõ carebis infinitis detractoribus, & adulatoribus: hi (ait Bernar.) obliuioni tradẽdi, illi dissimulandi. Qui in hac vita (dicebat quidã Sanctus) ad linguas dolosas attenderit, & non potius intentioni suæ, & menti animũ totus intenderit, numquã Deo inseruiet, neq; hominibus vtilis erit. Heu me, quia nondum excitatus a somno terrenarum affectionum cum Samuele: neque cælesti carbone purgatus cum Esaia, neque lingua a deo tactus cum Equitio monaco: (de quo refert Grego. in Dial. quòd sensit sibi a deo tangi linguam, vt se

Diony. 1. c. Eccle. hierar.
Prosper. lib. 3. de ui. cont. Cap. 14.
Esai. 6.
lib. 4. c. 4. p. 4.

ſe deinceps non poſſet continere a diuinis elo quijs) cum nihil horum haberem, in magiſtrum populorum datus ſum. Praui (ait Greg.) nō curant reſpicere meliores quos imitentur, & quorum cōparatione, nihil ſunt: ſed peiores quorū comparatione, aliquid ſibi eſſe videntur. Non conquieſcat opera tua, donec, vel in modico ſaltem aſſimileris Martino, Ambroſio, ceteriſque paſtoribus ſanctis. Recordare ꝙ ſanctus monachus, eſt velut lucerna ſub modio: idem autē epiſcopus factus, ponitur ſuper excelſum cādelabrum, vt clariſſimorum operum, & ſermonū vbiq; radios emittat, etiam ſi laboribus (quemadmodum de lucerna eſt in prouerbio) cōſumatur. Væ autem ei, qui in alto cōſtitutus radios nō emittit, ſed fumigat tepiditate ſua, ſocordia, tenacitate, faſtu, delitijs, Hæc eſt differentia inter illum, qui veraciter quærit ſanctitatem, & illum qui principaliter quærit apparentiam ſanctitatis: quòd alter, illa opera ſtudet facere, quæ plus ſcit deo placere: quamuis nō multum approbētur ab hominibus, neque adeo illuſtria appareāt: alter vero illa opera bona primo loco facit, quę hoībus illuſtriora vidētur, & gratiora. verbi gratia, expendēdi ſunt mille aurei, vel in vſus pauperū, vel in aliqua inſignia cōmoda animarū. Cōſtat planè hoc opꝰ reuera pſtare illi: illud aūt iudicio populi (ꝗ nihil niſi terrena

ſapit)eſſe pręſtantius. Quiſquis ergo vere ſctūs eſt, hoc faciet, q vero apparenter tantū, ad illud magis inclinabitur. Non ergo intendas apparere, ſed eſſe bonus: quidquid hoīes cenſeant, quorum iudicia, qui non contemnit, ſeruus Chriſti non eſt. Quid conquereris, quaſi officium paſtoris ſit impedimentum deuotionis? Vere.n. nihil aliud eſt, quàm continuum exercitium altiſſimarum virtutum.ſ. charitatis, iuſtitiæ, & mīæ? Quod ardētius exercitiū, quàm erecto in deum corde p varia loca diſcurrere, quærēdo, ſitiendo, & pcurando animarū ſalutem? Quod tamen tunc, & vtilius alijs, & facienti dulcius eſt, cum ſit a proprio ſponſo & paſtore. Hoc autem nō extinguit, ſed auget deuotionē: modo adſit pura intentio, & ſæcularium deſideriorū contemptus. Vnicus finis, vnicus ſcopus, vnica conſolatio, vnicū refrigerium paſtoralis officij eſt, adducere animas ad

Philip. 5. cognitionem, & amorem dei. Apoſtolus vocabat conuerſos a ſe, gaudium meum, & corona mea. Hoc eſt autem maximū laborum omniū leuamen. Mens mea ſolidata eſt, & in Chriſto fundata, dicebat ſancta Agatha. Stultus muta

Eccleſiaſtici. 27. tur vt luna, iuſtus permanet vt ſol, & quaſi fundamentum ſempiternū: quia confirmatum eſt cor eius. &c. Hác igitur animi firmitudinem, atq; conſtantiam in rebus bene deliberatis, ſaniſq; conſilijs habere paſtores debent, exem-

plaria

plaria incorrupta esse debēt, qualia sunt Christus, apostoli, & sancti viri. Ideo super actionibus, quæ manifeste pertinent ad euangelicū episcopum, non oportet consulere quemquā. Insanire puta, si quis aliud consuluerit. In hoc vno omnes reputa, velut mente captos, ob mūdi consuetudinē. Væ cæcitati nostræ (ait Augusti.) quia consuetos pessimos abusus, non solum non exhorrescimus in alijs, sed in eos etiā nos ipsi aliquando incidimus. Tremenda epistola. 8. Bernar. qui cuidam Brunoni docto viro consulenti, an acceptaret electionem archiepiscopatus colonien. omnino recusat dare ei cōsilium: sed solum dicit se oraturum pro eo: quia tamen ipse nihilominus acceptauerat, sequenti epistola terret eum electione Saulis, & Iudæ, & super omnia commendat ei humilitatem. Bernar. ad magistrū Gaufridum, Tu (inquit) habes a deo scientiam, spiritum libertatis, verbum viuum, & efficax, & sale conditū: ideo oportet te nunc non deesse ecclesię, schismate turbatæ. Non potest mundus odisse adulatores suos, reprehensores autē semper odit: vnde Iohan. 7. Non potest mundus odisse vos; me autem odit: quia ego testimonium perhibeo de illo, quòd opera eius mala sunt: quia multi huius tēporis pastores sunt, canes muti: ideo non odio habentur a carnalibus.

Bernar. Epi. 8.

Bernar. Epi. 125.

¶Recole semper illam verissimam sententiam,

quòd id quod verum & probum est, a paucissimis probatur: quod multitudo probat, hoc fere erroneũ, & prauum est. Vulgi sententia est, Non hunc sed Barrabam idest melior est Barrabas Christo. dicit Ioan. baptista, Ecce agnus dei credemus huic vni, an toti mundo? Igitur non vulgares opiniones, sed paradoxas, idest a corrupti vulgi opinione remotas debem⁹ seq. & de rebus iudicare iuxta earũ naturã, nõ iuxta abusus, & iudiciũ corrupti sæculi. B. Thom. super Matthæ. 11. dicit, quòd qui nimium attendit ad voces hominum, nihil recte faciet, citans illud, Qui obseruat ventum, numquam seminat, & qui obseruat nubes, non metet. *Ecclesiastes. 11.* Attende quòd prælati fere peccant: quia molles, & remissi, & quia cõsanguineis, & amicis expostulantibus succumbunt. Tu vero efflagita a deo constantem animum, & innullo declinantem ab his, quæ secundum ipsum expedire cognoueris. Ideo ne cedas his, qui contraria suadent: quacumque importunitate consiliorum aut precũ. Nihil in hac vita habes, quòd amittas, nullum a quo aliquid speres, neminẽ quem merito timere debeas. Ideo constantissime, ac prudentissime cõtẽde ad solam diuinã voluntatẽ in omnibus sectandam. Deus enim dissipauit ossa eorum, qui hominibus placẽt. ¶ Qui iam diu in ecclesia præsunt, frequenter languescere solent, & veluti callos obducere,

ne, quæ male fiũt, moleste ferant. Vnde & aliqua, quæ ante intolerabilia reputabant, facile tolerant. Absit, absit hoc. quandiu durat vinculum reddendæ rationis, qua ratione cessare possumus? Quòd zelus negligentia dormiat, inexcusabile est, ait Bernardus.

HVMILITAS, AC MODESTIA Prælatorum, quo ad statum, & personam. Caput. VI.



QVI dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulauit, & ipse ambulare. Quod igitur aliud exemplar status vestri quæritis o pastores, quàm Dominum Iesum? Cur putatis iam abrogatum esse decretum illud, Reges gentium dominantur eorum, vos autem non sic. &c. Nulla consuetudo, nulla præscriptio, potest abrogare hunc canonem diuinum. Ponderate verba Lucæ. 16. Quod hominibus altum est, abhominatio est ante deum. Dicunt aliquando pastores, Non possumus subditos nostros in obedientia, & officio continere, nisi splendore vitæ, & pompa auctoritatem apud eos consequamur. O cæcitatem insignem; ministri Christi prudentiores Christo esse volunt? Christus namque mediantibus hominibus plenis spiritu

1. Io. 2.

Luc. 22.

suo (idest spiritu humilitatis, & paupertatis) mundum subegit: ac spiritum carnis, & mundi expugnauit: modo vero dicitur, spiritum mundi non posse expugnari, nisi mediante spiritu mundi, idest nisi pastores armentur pompa, ac fulgore sæcularis potestatis? Quid magis præposterum potuit excogitari? Non potest (inquit Dñs) sathanas sathanam eijcere, idest homo habens spiritum mundi, non potest ab alijs expellere eundem spiritum mundi. Pastores pomparum, sæculi sectatores destruunt illud encomium ecclesiæ, canticorũ. 1. Nigra sum, sed formosa. Nolite me considerare, quòd fusca sim: quia decolorauit me sol, idest Christus. Quod ad litterã significat, ecclesiam esse exterius quidem nigram ob crucis mortificationẽ, & contemptũ externi fulgoris, interius tamen formosam propter donorũ cœlestiũ pulchritudinem. Vnde pastor, qui renuntiat splendori status, ob Christi amorẽ, potest dicere illud, Nolite me considerare quòd fusca sim; quia decolorauit me sol, idest si nõ habeo externum splendorem, amor & imitatio Christi sponsi fecit hoc. Vnde & Dominus dicebat, Beatus qui nõ fuerit scandalizatus in me, idest non reiecerit me ob hanc externã nigredinem, & abiectionem quam elegi. Bern. postquam exclamasset contra fulgorem, & regium apparatum prælatorum, sic subiungit, In amarissima

Mar. 3. *Can. 1.* *Luc. 7.* *Bernar. serm. 25. 27. 33. su. cant.*

pissima pace, nūc sedet ecclesia impugnata moribus suorū pastorum. Non fugare, non fugere eos potest, sicut antiquitus fugabat persecutores hæreticos, & fugiebat presecutores principes: ita inualuerunt & multiplicati sunt super numerū. Deniq; cōcludit, Intestina, & insanabilis est plaga ecclesiæ. Dicunt enim multi pastores, Nisi habuerimus fulgorem status, contēnemur ab omnib⁹. Si hæc ratio vrget, cur Dominus venit in humilitate status, cum sciret se per hoc a reprobis contemnendum? Augu. super illud Psal. Miserere mei deus quoniam Ps. 55. conculcauit me homo, dicit, Si es vere Christianus, para te, quia conculcandus es: in torculari es: & ideo conculcationem euadere nō potes. Nos (dicunt mundani Sap. 2.) vitā sanctorum putabamus insaniam: igitur si insanus reputari non vis, sanctus esse non vis. De beato Martino legimus, quòd impune a suis clericis irridebatur, & contumelijs afficiebatur, & ex monacho factus archiepiscopus turonē, idē constantissime preseuerabat, qui prius fuerat; eadem in corde humilitas, & in vestitu vilitas In ecclesia nemo illum sedere vidit, domi autē tripoda vtebatur. Cum hoc tamen, ita plenus auctoritatis, & gratiæ, vt egregie impleret episcopi dignitatē. Illud autē Apostoli ad Tim. Ne 1. Tim. 4. mo adolescentiā tuā contēnat, nihil aliud significat, nisi, Nihil facias vnde te contēptibilē exhibeas:

hibeas: quòd si citra culpam tuam, apostolicos mores sectando contemneris, age gratias deo, quemadmodum sancti faciebant; & læto
ps.118. animo cum Dauid canta, Adolescentulus sum ego,& contemptus: tamē iustificationes tuas
ps.68. non sum oblitus. Domine propter te sustinui opprobrium, opperuit cōfusio faciem meam: extraneus factus sum fratribus meis.&c.Quare? Quia zelus domus tuæ comedit me,& opprobria exprobrantū tibi ceciderūt super me: idest zelus acquirendi animas tibi, me coegit ad humiliatē apostolicā sectandā. Scio Domine,quòd non ex ore potētiū, sapientiū, ac pōpatice incedentiū, sed ex ore infantiū,& lactētiū,idest simpliciū,& cōtemptorū Apostolorū, voluisti sapientiā tuā, atq; gloriā pfecte mani-
Ber.2.de festari.Nulla igit (inquit Ber.)splēdidior gēma
consi. ad in ornatu pōtificis humilitate. quo .n. ceteris
Eugeni. celsior,eo humilitate apparet illustrior: nulla potest ita hominū tyrannidē debellare. Ad quē
Mat.11. magis ptinet verbū illud, Discite a me qui mitis sum,& humilis corde,quàm ad ministrum Christi in reductione animarū ad ipsum? Hæu quò deuenerūt pastores nostri: sanctos,& spirituales honores contemnunt,& glorias græcas consectant: de quibus vide. 2. Macha. 4. Quæ vtilitas quæso vestrarū pomparū? a fructibus earū cognoscetis eas: fructus earū sunt,ambitio,cupiditas,libidinesq; vestrorū,clericorūq;

feruor deuotionis, penitus extinctus. Vestri canonici, qui debuerãt esse primi cooperatores, & coadiutores ad omne bonũ, hi frequenter sunt primi hostes spiritualis vitæ, humilitatis, modestiæ, ac disciplinæ. Quomodo ergo potestis vestro fastu, & põpa exterminare de mũdo fastũ, & sathanicas põpas, quibus in baptismo renũtiauim?? Cõstat aũt officiũ pastorale a deo esse institutũ, ad omnia vitia ab ecclesia eliminanda. Ad hoc enim a deo dati estis præsules, vt deprauatos mores ac leges mũdi verbis, & exẽplis viriliter ĩpugnetis: quas Dauid vocat vanitates, & insanias falsas. Nõ potestis aũt veras mũdi insanias exterminare, nisi apostolica documẽta, & exẽpla (q̃ mũdus insanias vocat) viriliter sectemini, & insanos ꝓpter Chr̃m vos appellari patiamini: vt cũ Paulo dicere possitis, nos stulti ꝓpter Chr̃m, vos aũt sapiẽtes ĩ Chr̃o. Si decreta sanctorũ cõciliorũ veneramini, illud imprimis decretũ concilij carthagi. 4. (cui beatus Augu. interfuit) in imo corde defigite: qđ sic habet. episcopus vilẽ suppellectilẽ, & mensam, ac victum pauperem habeat, & dignitatis suæ auctoritatem, fide, & vitæ meritis quærat. Hæc sunt arma Christi, & apostolorũ; quibus mundi regnũ cum suo Goliath expugnandum est. Nõ eget Christus, armis Saulis ad sua bella gerenda; non eget pompis, & splendore sæculi ad populos in fide, & obedientia cõtinendos, vt multi

ps. 39.
ps. 39.
1. cor. 4.

vt multi temere asseuerant; qui ad excusationem dicere solent, Non est ad extrema declinandum, cómunis via tenenda est. profectò si antiqui sancti, & pastores non tenuissent extrema, nec declinassent ad apostolicas singularitates, numquam, neq; sancti fuissent, neq; calendaria nostra suis nominibus ornassent, neq; breuiaria gestis suis implessent. Qui autē tritā sequuti sunt viam, vel ignorantur eorum nomina, vel sordent, nec semē sanctum post se reliquerunt. Si trita sequēda via est, quare beatus Gregorius electus in pontificem, mox e domo sua oēs sæculares iuuenes explosit, & solos probatos clericos, vel monachos secum retinuit? Sileant ergo mores oēs, qui nō sunt euangelico spiritui, doctrinæ, & exemplis sanctorum conformes; iuxta illud, Omnis plantatio, quam non plātauit pater meus cęlestis, eradicabitur. Profectò non est superba singularitas, quòd vnus aut alter episcopus huius ætatis, nolit cōformari in fulgore status, episcopis sui sæculi; immo maxima suberbia, & dānāda singularitas est eorum, qui audacter documentis, & exēplis antiquorū patrum cōtradicunt: & intolerabilius est ꝙ allegant, oportere. s. seruire tempori: quasi spiritus Christi, & euāgelica norma mutari debat cū tempore: ac opinionibus, & affectibus hominū seruire: cū potius omnia tēpora sint euangelicę institutioni conformāda, &

Mat. 15.

& iuxta normã euãgelici, atq; apostolici spiritus reformanda. Officiũ carnis nõ spiritus est, quòd nostra tempora nõ ferant illam antiquorum patrum modestiã, & humilitatẽ externã. Officium carnis est, semper excogitare apparẽtes rationes, quibus se muniat: & commoda sua defendat: nec desunt ei innumeri doctores & patroni, qui partes eius tueantur. At verba dei, & sanctorũ testimonia, firma stant: quoniam statuit ea Dominus in æternum & in sæculum sæculi. Cuiusmodi sunt illa, Vos autem nõ sic, &c. Nõ dominantes in clero, sed forma facti gregis ex animo, & alia pené innumera. Hęc autem promulgata non sunt, vt varientur cum tempore: sed vt illibata permaneant in omni tempore, & eis seruiãt omnia tempora. *Ps. 140.* *1. pet. 5.*

Quoniam Iohannes Gers. in secunda parte suorum operum collegit egregium opusculum, cuius titulus est, De temperantia, & modestia prælatorum, in quo multa scitu dignissima ad hoc institutum refert, ideo, operę pretium existimaui, summam huius tractatus paucissimis hic verbis cõprehendere. Statuit igitur hanc conclusionem. Expedientius & efficacius est, prælatũ declinare ad austeritatẽ vitæ in mensa, vestib⁹, & numero seruitorũ, & reliquis ptinẽtib⁹ ad statũ suũ, q̃ hominibus sæcularibus ĩ talibus cõformari. Quã quidẽ conclusionẽ ꝓbat hoc modo. tria.n. posśũt mouere p̃latũ ad hoc

§Primo

¶ Primo, vt placeant deo, & hoc manifestum est non placere deo, cum sit contra exempla Christi & sanctorum, & manifestum est etiam plus placere deo opera pietatis, in quibus possunt expendi ea, quę in prędictis expenduntur. Mentitur ergo iniquitas sibi, cum dicit, se per talia velle deo placere: cum in rei veritate placere non intendat, nisi sibi, vel mundo. Secundo potest mouere eos ad hoc, spiritualis profectus subditorum. quos tamen constat hac ratione, nihil proficere: cum huiusmodi pompa plus scandalizet homines sæculi, tam principes quàm alios omnes, quàm ædificet. Ex hoc enim cōcitantur ad murmurationē, inuidiam, cupiditatem, indignationē. &c. Habent enim

1. Pet. 5. ex præcepto beati Petri illud, Nō dominantes in clero, sed forma facti gregis ex animo. Vnde propter hoc tenentur esse forma humilitatis, & sobrietatis. Viuentes autem fastuose, potius sunt forma ambitionis, cupiditatis, vanitatis: dum hoc ipso, subditos suos ad similia cōpellunt, Exemplum enim prælati quodam modo

Gal. 1. cogit ad similia, iuxta illud Pauli ad Petrum, Tu cogis gentes iudaizare. &c. Sed quorsum attinet ad hoc scripturas allegare, cū experientia hoc ipsum euidenter clamet? Nā vnde tanta deuotio principum, & aliorum sæcularium ad antiquos pręlatos, tantaque reuerentia, nisi quia tales pompas vilipendebant? Tum etiā,

quia videbãt eos esse fideles dispensatores bonorũ ecclesiasticorũ, largissime eis cõmunicabant diuitias suas. Postea verò videntes eos in põpis eas cõsumere, non solũ retraxerũt manũ: sed ipsa etiã ecclesiastica bona inuaserũt. ¶ Sed forte dicẽt, Sic viuimus, vt conformemur ijs, quib⁹ cõuiuimus Ad hoc respõdet ille q dixit, Nolite conformari huic sæculo, &c. Dicunt etiã, Sic viuimus, ne inter alios erubescamus. Ad hoc dicitur, ꝙ nõ est erubescenda humilitas Christi: neque vilitas, quę propter eum sustinetur. Dicũt etiam, Sic viuimus, ne reputemur auari, & hyppocritæ, si fuerimus in talibus ceteris parciores. Hæc ratio vim haberet aliquam, si nõ esset alius modus rationabilior, & iustior, per quem a cordibus hominũ hanc opinionem euellerent. Verissimum enim est, oportere prælatos amouere debere a se suspitionẽ auaritiæ, & hypocrisis: cũ debeãt ꝓximis bonã famam, sicut deo bonã conscientiã. Vnde fateor, quòd si prælatus parce viuit, & nihilominus mille modis extorquet pecunias, & thesaurizat: iste indubie abhominabilior est corã deo, & corã homin ib⁹ cõtẽptibilior, quàm illi q splẽdide viuũt. Quã obrẽ ita vitã suã instituere debet, ne auarus æstimet, & pecuniæ cõgregator. similiter addit Gerson dicẽs, Prçlatus nõ solũ licite põt dare eleemosynas in publico, & ante se tuba canere (hoc ẽ, se mãifestare, cũ dat *Rom. 12.*

eleemosy-

elecmosinas) sed etiã ad hoc ipsũ tenetur pro loco,& tẽpore: qm̃ positus est in exẽplũ aliorũ velut lucerna ardens sup̃ candelabrũ, vt oĩbus luceat qui sunt in ecclesia. Quod si fecerit, oĩs
Matth. 6. vtiq; auaritię suspitio tolletur. Ille.n. qui dixit, Cũ facis eleemosynã, noli tuba cãere. &c. etiã
Mat. 5. dixit, Luceat lux vestra corã hominib⁹. &c. Per hoc doces, opera christianorum, & specialiter prælatorũ, & in abscõdito esse faciẽda (quo ad intentionẽ nõ captandæ laudis humanæ) & in publico etiã, ꝑpter augmẽtũ diuinę gloriæ. Vñ Gregorius, Sic fiat opus in publico, quatenus intentio maneat in occulto. Sed dices. Hoc est præcipitare prælatos in tentationes inanis gloriæ, quæ est subtilissimus quidam ventus; Fateor hoc verum esse. Quapropter nõ debet acceptare prælaturam, nisi qui fuerit diu iam in humilitate; & feruore deuotionis, & ceteris virtutib⁹ exercitatus. Vę enim illis; qui ante huiusmodi exercitia, tantum onus suscipiunt; quia multis difficultatibus se ipsos inuoluũt: cũ ex altera parte teneatur opera sua facere in publico, & ex altera pateant præcipitio tumoris, & vanitatis. Difficile autẽ est id recte agere; quod non ante didiceris. Atq; in hũc sensum exponit Grego. illud Iob. 18. Posuit in rete pedes suos, & in maculis eius ambulat. Nõ tamẽ arbitretur prælatus (quãtacũq; polleat sanctitate) posse se oĩno euadere inuidias, detractiones

nes, & calumnias malignantiũ. Sed cõtemnat se a talibus contemni, nec extimescat eorum scandalum: quia in tali casu dominus dicit, Cæci sunt, & duces cæcorum. Quid mirum, si omnes contra dicunt tibi? Nonne de domino dixit sanctus ille Symeon, Ecce positus est hic in signum cui contradicetur? Et Dauid, Astiterunt reges terræ &c. Et Hiere. Omnes cõtradicunt mihi. Et Actuum vltimo, De secta hac, notum est nobis, quòd vbiq; ei contradicitur. *Matth. 15.* *Lucæ. 2.* *psal. 2.*


¶ Tertio (ait Gerson) possunt prælati moueri ad hoc genus viuendi splendidum propter auctoritatem ecclesiæ; vt videlicet habeantur in pretio. Et quidem hæc ratio est, velut Achilles eorum: propter quam multos alunt familiares, qui vtinam nõ tales essent, qui & episcopi, & ecclesiæ auctoritati detraherent &c. sed hęc ratio nullius momenti est. Primo, quia cum honor sit præmium virtutis, ipsi tenentur oues suas docere, vt homines, præcipue ꝓpter virtutem honorent, non propter fastum & pompam. Vnde exquirentes honorem hac ratione docent errare oues suas, scilicet vt putent splẽdore vitæ, veram esse causam honoris. Vnde beatus Iaco. Damnant illos tamquam acceptatores personarum, qui honorant diuites ob vestem fulgidam &c. & spernunt pauperes. Et Bernar. ad Eugen. Tu pastor procedis deauratus, tam multa circundatus varietate, oues quid *cap. 2.* *Bernar. lib. de consi.*

quid hic capiunt? Si auderem dicere, dæmonum magis, quàm hominum paſcua hæc. Siccine faciebat Petrus? Sic Paulus ſuadebat? Abſq; his crediderunt apoſtoli, & apoſtolici viri poſſe impleri ſalutare illud mandatum,
Io. 21. Paſce oues meas. Item ſi epiſcopi in hoc zelant auctoritatem eccleſię, cur ſuos curatos in ſordibus, & abiecto ſtatu derelinquunt: immo & aliquando nudari patiuntur. His etiam addo, quòd principes ac nobiles potius irrident, quàm reuereantur faſtum hunc: pauperes autem minus audent ad tales accedere, vt ab eis paſtum vitæ ſuſcipiant. Et videntes eos in otio, & epulis viuere, ſe vero egenos & in laboribus vitam ducere, inuident eis atq; detrahunt: quos ſi viderent in humilitate viuere, amarent ac eorum exemplo labores ſuos æquanimiter ferrent. Tertio dico quòd vtiq; debent procurare vt honorentur, ac in reuerentia habeantur: ſed diſtinguendum eſt de honore. Duplex enim eſt honor: quidam eſt quem mundus ſolet exhibere dominis, ac principibus ſæcularibus, ac diuitibus. Alter eſt, quem homines ſolent exhibere viris ſanctitate præſtantibus. Et primum quidem genus ho-
1. Pet. 5. noris quærere non debent, iuxta illud, Non dominantes in clero. Debent ergo quærere ſecundum, quod contra tamen pleriq; faciunt. Vnde fit, vt quamuis non incidant in contem-

ptum primo honori contrarium; non tamen vitant contemptum contrarium ſecundo: immo homines videntes eos ſplendide viuere, reputant eos mundanos, ac filios huius ſęculi. Quòd ſi contingat ob ſanctimoniam cõtemni, nónne ſcriptum eſt, Beati eritis cum vos oderint homines? &c. & iterum per gloriam, & ignobilitatem &c. O miſerandam ſtupiditatē, ardet vitijs eccleſia, flammis vitiorum vritur ſponſa tua: vix reperitur vnus, aut alter qui in toto corde ſuo dominum quærat, & epiſcopus vacabit ſplendori ſtatus, ac delicijs: cum oporteret ſacco, & cinere indutum gemere, vociferare, ieiunare, & nudis pedibus cum Eſaia incedere? Creſcunt morbi, deſunt medici, videlicet clerici probi & docti: & facultates eccleſiæ quibus medici emendi erant, conſumentur in ſplendore ſtatus? Clamandum erat cum Moyſe Nume. 11. Non poſſum portare populum hunc: interfice me, ne tantis afficiar malis. & paſtores euangelici vacabunt delicijs & pompis? Verſatur in ſummo periculo ęternę damnationis epiſcopus, cuius curæ tot animarum ſalus credita eſt: & in tanto periculorum pelago nauigans, de ſplendore vitæ, atq; delicijs ſolicitus erit?

Luc. 6.
2. cor. 6.

QVOD PRÆDICATIO SIT PRÆcipuum episcopi munus. Cap. VII.



Vid aliud est episcopus, quàm quidã suę diocesis sol; & homo totus igneus, totus conquirendis Christo animabus intentus, exemplo semper & verbo sæpissime prædicans? Vnde Apostolus ad Timo. Attende (inquit) lectioni, & exhortationi, & doctrinæ. Et iterum, Attende tibi & doctrinæ, insta in illis: sic enim te saluum facies, & eos qui te audiunt. Ac terribilibus verbis eum obtestatur. Testificor (inquit) coram deo, & Christo Iesu, qui iudicaturus est viuos & mortuos, per aduentum ipsius & regnum eius, prædica verbum, insta oportune, importune &c. Et instantiam suam in verbo ephesijs, his verbis testatur, actuum. 20. Per triennium non cessaui die, & nocte cum lachrymis monere vnũquemq; vestrum. Huc pertinet illud ardentissimum verbũ ex psalmo 2. Ego (ait Christus) constitutus sum rex ab eo, supra syon montem sanctum eius, predicans pręceptum eius. Quid hic dicitis otiosi pastores, qui cathedras prędicandi ambitis, & officium ac munus prædicandi negligitis? Christus se dicit constitutum regem ad prædicandum, vos autem dicitis, non

1. Tim. 4

2. Tim. 4.

psal. 2.

poſſe vos ſimul regere & prædicare? Poterant quidem vtrumq; patres noſtri, Gregorius, Ambroſius, Auguſtinus &c. Regebant eccleſias ſuas, prædicabant, ſcribebant &c. Quòd ſi per impedimenta vtrumq; præſtare non poteſtis, alia per alios exercete, vobis vero docendi offi cium reſeruate. Hoc enim vobis præcepit concilium carthaginen. quartum his verbis, epiſcopus gubernationem viduarum, & pupillorum, ac peregrinorum nõ per ſeipſum, ſed per archipresbyterum, aut archidiaconum agat. Et infra, epiſcopus nullam rei familiaris curã ad ſe reuocet, ſed lectioni, & orationi, & verbi dei prædicationi tantummodo vacet. Quod ſancti illi patres ab apoſtolis actuum 6. acceperunt, dicentibus, Non eſt æquum nos relinquere verbum dei, & miniſtrare menſis &c. Quòd ſi pauperum, ac viduarum curam poſthabuerunt muneri prædicandi, quanto magis poſthabuiſſent audientiam litium, & quæcũq; forenſia negotia? Quid intolerabilius, quàm epiſcopum totũ tempus prodigere in litibus, & diſcordijs ſæcularibus audiendis, & exiguũ aut nullum ſacris lectionibus, & meditationibus tradere, quatenus poſſit ſanctis ſermonibus, & exhortationibus ouium ſuarum animas ad terrenorum contemptum, & cæleſtiũ amorem inflammare? Sed ſunt tamen quidam huius temporis paſtores, qui dicant, habemus

idoneos prædicatores, qui hoc munus commodius exerceant. Hoc adeo exhorruerũt patres nostri, vt in concilio hispalensi 2. quod celebratum est anno Domini. 630. habeantur hæc verba, episcopo pręsente, non licet presbytero populum docere, aut exhortari &c. Profecto & si episcopus sit minus doctus, aut minus eloquens, habet tamen aliquid, & maius, & fortius verbum pastoris: sicut lac matris vtilius esse censetur, lacte nutricis. Audiant igitur episcopi consilium Iethro, & eis

Exo. 18. dictum a domino putent, quod Moysi ille suggessit his verbis. Esto tu populo in his quæ ad deum pertinent, vt referas quę dicuntur ad eũ, ostendasq; illis ceremonias ritumq; colendi: & viam per quam ingredi debent. Prouide autem viros timentes deum, in quibus sit veritas, & qui oderint auaritiam: & constitues eos iudices minorum, maiora vero ad te deferant. Contra quod faciunt episcopi, qui auulsi a dulcedine scripturæ & sacris meditationibus, totos se tradunt litibus, curis, ac forēsibus negotijs: dimittentes essentiales actus sui officij pertinentes ad salutem animarum, scilicet meditationem, prædicationem, lectionem, visitationē diocesis &c. Summus pontifex erat Gre-

Gregor. Epist. 39 *lib.* 2. *Indic.* 10. gorius, & tamen imprimis astrictum se agnoscebat ad officium prædicandi: vnde scribens ad Dominicum episcopũ carthaginen, sic ait,

episco-

episcopi est de prædicationis ministerio semper cogitare, intentissimo timore considerãs, quòd recessurus ad percipiẽdum regnum dominus, & talenta seruis distribuens dicat, Negotiamini dum venio. Quod profectò negotium, tunc vere nos agimus, si viuendo & loquẽdo, ꝓximorũ animas lucramur: si infirmos in supno amore roboramus: si ꝓteruos & tumidos gehẽnæ supplicia terribiliter insonãdo, flectimus: si nulli cõtra veritatẽ parcimus: si supernis amicitijs dediti, humanas inimicitias nõ timemus. Sed ad hęc ego pondus meę infirmitatis expauesco, cogitans rationem quam sum redditurus. Qua enim mente illum sustinebo, cui de suscepto negotio animarum, lucrum nullum aut penè nullum reporto? Idem Gregorius epistola 37. quarti libri, cõparat ecclesiã sine episcopo, arenti alueo. Cũ autẽ is venit in ecclesiã suam, est velut cũ fluuius reuertitur ad arida saxa, qui iuxta positas valles rigat, vt fructũ ferant, aliud quidem trigesimum, aliud sexagesimũ, & aliud centesimũ: & per fluẽta linguę erumpunt flores, vsq; ad fructus maturos. Quòd si dicat episcopus, prædicationi insto, sed fructũ non video: recolat pulcherrima illa Bernar. verba ad Eugeniũ, sic dicẽtis, Fac quod tuum est: nam Deus quod suum est satis absq; tua solicitudine, & anxietate curabit. planta, riga, fer curam, & tuas explicuisti partes:

Luc. 19.

Ad episc. Antioch. in princ.

Bernar.

ſanè incrementum deus, quando voluerit dabit: deus inquam, non tu: quod ſi forte noluerit, tibi deperit nihil. Communica cæleſtæ triticum ſine inuidia, & ſine deſidia: de ſolo tibi credito talento reſpondere tibi para. Si multũ accepiſti, multũ da: ſi modicũ, & id retribue: etenim qui in modico fidelis non eſt, neq; in maximo erit. Totum quod habes da, quia totum repetendum eſt vſq; ad vltimum quadrãtem. In his duobus mãdatis, verbi ſcilicet atq; exempli, ſummam tui officij ad conſcientiæ ſecuritatem pendere intellige. Tu tamen ſi ſapis, iunge & tertium, ſtudium ſcilicet orationis. Manent itaq; tria hæc: verbum, exemplum, oratio: maior autem horum, eſt oratio: nam & ſi vocis virtus ſit opus, operi tamen & voci gratiam, efficientiamq; promeretur oratio.

¶ Quàm vtile autem ſit prędicandi ſtudium ad impetrandam veniam propriorum peccatorum, habes a Gregor. ſic dicente. Tanto celerius quiſque ab omnibus ſuis peccatis abſoluitur, quanto per eius vitam, & linguam aliorum animæ ſuorum peccatorum nexibus ſoluuntur. Idem Gregorius, Lingua epiſcopi, fomentum ſit bonis, aculeus malis: tumidos retundat, iratos mitiget: pigros ac deſides exacuat, ac ſuccendat: aſperis blandiatur, deſperatos conſoletur.

Gregori. Epi. 27. lib. 6.

PATIEN-

PATIENTIA, ATQVE CONSTANTIA pastoris in aduersitatibus, & persecutionibus tolerandis. Cap. VIII.



ONDERA quæso episcope (Ezechie. 2.) conditiones carnalis populi ad quem gubernādum, ac pascendū mitteris: nam vt ibi habes, mitteris ad gentes apostratices; ad duros facie: ad indomabiles corde: ad irritatores: ad subuersores: ad incredulos: ad domum exasperantem: deniq; ad scorpiones. Ad te enim pertinet verbum illud Iob, Frater fui draconum, & socius struthionum. Et ideo ad æquanimitatem & patientiam te para. Vnde August. sup illud Psalmi 101, Quia defecerunt, sicut fumus dies mei, & ossa mea sicut in frixorio confrixa sunt, dicit, quòd mali sunt frixoriū bonorum: tantum enim frigitur bonus quantum amat: quoniam tantum dolet de multorum interitu, quantum salutem eorum diligit, Ad prælatum etiam iugiter gemētem, quia videt se non ita fructum facere, applicat ibi Augustinus illud Psalmi, Miserere mei domine, quoniam tribulor, conturbatus est in ira oculus meus, anima mea & venter meus. At (vt Gregor. inquit) ipsa malorum societas magna purgatio bonorū est. Abel namq; esse renuit, cap. 30. psal. 30.

quem

quem Chaim malitia nō exercet: ferrum quippe nostræ mentis ad acumem nō potest peruenire veritatis, nisi hoc alterius eraserit lima prauitatis. Et super illud, Sicut lilium inter spinas, dicit glossa, Bonus non fuit, qui malos tolerare non potuit. Et ideo licet multa aduersa nostris propositis, ac sanctis desiderijs obsistāt, numquam tamen deponendus est animus, sed semper in medio turbinum muniēdus illa dulcissima promissione, Quoniam in me sperauit, liberabo eum: protegam eum, quoniam cognouit nomen meum. Clamauit ad me, & ego exaudiam eum: cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum. Nam (vt pulchre dicit Gregor.) & habetur. 7. q. 1. Aduersitas quæ bonis votis obijcitur, probatio virtutis est, non indicium reprobationis. Nam Paulus prędicaturus veniebat in italiam, & tamen veniens naufragium pertulit: sed tamen nauis cordis in maris fluctibus integra stetit. Quomodo mente turbari, aut animo frangi poterit episcopus, quando a carnalibus maledicitur, si mente recogitauerit verbum illud domini, Beati eritis cum maledixerint vobis homines & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersum vos mentientes, propter me: gaudere in illa die & exultate. ecce. n. merces vestrą copiosa est in cælis: sic. n. persecuti sunt prophetas, qui fuerūt ante vos,

Cant. 2. *Psal. 90.* *Epi. 126. ad regem uisigotho. lib. 7. indic. 2.* *Matth. 5.*

patres

patres eorum? Gaudete (inquit) in illa die: est enim vere dies festus, qui tantam secum affert exultationis materiam. Considera etiam illud Sapien. 2. Dixerunt impij, circumueniamus iustum, quoniã contrarius est operibus nostris &c. Tibi vsurpa quæso episcope ardentissima illa beati Ignatij verba, Quia frumentũ Christi sum, bestiarum (idest carnalium hominum) dentibus molar, vt panis mundus efficiar. Quid vis? Vis ne sine molestia, & afflictione in medio carnalium turbarum viuere? Clamat Moyses, Non possum sustinere hoc onus: occide me ne tantis afficiar malis. Hier. maledicit diei natiuitatis suę propter onus officij. Paulus clamat. Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego nõ vror? & tu vis quiescere, ac sine molestia viuere in medio pręuaricatorũ, ardente mundo, & igne carnis omnia deuorante? Igitur in medio malignãtiũ, & persequentiũ recordare verbi illius beati Bernar. Ego (ait) plagis cõscientiæ meæ, nullũ iudico accõmodatius medicamentũ opprobrijs, & cõtumelijs. Itẽ dicit, Legi ego apud quendã sapientem, Non est vir fortis, cui non crescit animus in ipsa rerũ difficultate. Ego autẽ dico, fideli homini magis inter flagella fidendũ. Memento (ait Grego.) quia charitas patiens est. Et Prouer. 12. dicitur, Doctrina viri per patientiã noscitur: quia non potest

Num. 11.
cap. 23.
2.*cor.* 11.
1.*cor.* 13

poteſt conſtanter, & vtiliter recta docere, qui non nouit deſpectiones ęquanimiter tolerare. Et regulariter impatientes fiunt arrogantes: quia dum non ferunt deſpici in hoc mundo, ſi qua bona occulta habent, oſtendere conantur.

Prou. 16. Ideo ſcriptum eſt, Melior eſt patiens arrogante: quia magis vult deſpici, quam occulta bona ſua manifeſtare. Inſuper, ne multitudine ſuperborum, ac carnalium te contemnẽtium, nimia triſtitia opprimaris, conſolenter te illa Spiritusſancti verba, Recti diligunt te, Item

pſal. 33. illa. Audiant manſueti & lætentur. videant

pſal. 24. pauperes, & lætentur. Item, Innocentes, & recti adhæſerunt mihi: quia ſuſtinui te. Vide-

pſ. 106. bũt recti & lætabũtur, & omnis iniquitas oppilabit os ſuum. Sicut ergo ex miſericordia domini, non deſunt ibi boni ad ſolatium, ita nec deerunt plurimi peruerſi ad patientiæ, & humilitatis exercitium, Bene dicit Auguſtinus, Malus ideo viuit, vt vel corrigatur, vel

Epiſt. 24. vt per eum bonus exerceatur. Et Gregorius in-

lib. 2. quit, Non eſt grande ijs eſſe humiles, a quibus honoramur: quia hoc etiam ſæculares quilibet faciunt: ſed illis maxime humiles eſſe debemus, a quibus aliqua patimur. Dauid namq;

pſal. 9. dicit, Vide humilitatem meam de inimicis meis. Quod ſi nimium turbaris, quia vexant te iniqui opprobrijs ac maledictis, ſignum eſt, quòd non dum habes cor fixum in cælo. Vnde

Grego-

Gregorius in quadam epiſtola, Miror (inquit) quòd vos qui cor fixiſtis in cælo, verba hominum agitant in terra. Et Bernardus ad alium ſcribens, Fluctuas (inquit) inter proſpera & aduerſa, quia non ſtatuiſti pedes tuos ſuper petram.

¶ Gregor. ad Ianuarium epiſcopum, ſic dicit, Perlatum eſt ad nos, quòd Iſidorum virum clariſſimum excommunicaſti, & anathematizaſti, non ob aliam cauſam, niſi pro eo quòd te iniuria affecerat: quæ res nos vehementer afflixit: quod ſi ita eſt, nihil te oſtendis de cæleſtibus cogitare, ſed terrenam conuerſationem te habere ſignificans, dum pro vindicta propriæ iniuriæ (quod ſacris regulis prohibetur) maledictionem anathematis iniunxiſti: tamen de cetero omnino eſto circunſpectus atq; ſolicitus, & talia cuiq; pro defenſione propriæ iniuriæ inferre denuo non præſumas, alias &c. *Grego. epiſt. 24. lib. 2.*

¶ Et ibi ad Natalem epiſcopum, qui ſcripſerat ei ſe non poſſe legere: quia multis tribulationibus preſſus erat, reſpondet, quòd nulla eſt excuſatio, immo quanto magis grauatur ponderetribulationum, tanto magis debet lectioni ſacræ vacare. Quia ſcriptum eſt, Per patientiam & cõſolationem ſcripturarum, ſpem habeamus. Et ibi, Si vitæ huius curſum veraciter attendamus, nihil in eo firmum, nihil inuenimus ſtabile: ſed quemadmodum viator *Idem. Epi. 37. Rom. 15. Idem. Cap. 90.*

modò

modo per plana, modo per aspera graditur, sic nobis in hac vita manentibus, nūc prosperitas, nunc occurrit aduersitas: ideo tota mente ad illum anhelandum est, vbi quidquid est, firmum permanet, vbi non mutatur aduersitate prosperitas. Igitur nos ipsi humiliati discamus flere delicta nostra, & exaltati, aduersitatis memoriam quasi humilitatis anchoram, teneamus. Item, quia omnipotenti deo incessanter quotidie delinquo, aliqd mihi apud tremendum examen illius esse remedium suspicor, si incessantibus quotidie plagis ferior. Et credo quòd eundem dominum tāto vobis amplius placatis, quanto me ei male seruientem amplius affligitis. Scribit etiam ad Mauritium cæsarem, & enumerās magnas tribulationes quas patiebatur, subiungit. Et quidem de me ipso, in nullo turbatus sum: quia teste conscientia (fateor) aduersa quælibet pati paratus sum: dummodo hæc omnia cum salute duntaxat animæ meæ euadam.

Idem. Epi. 31.

Greg. Cōstātiæ augustæ epi. 34. lib. 4. indic. 13.

¶ Et ibidem, episcopi mei (inquit) me despiciunt: & contra me ac mandata mea refugiū ad sæculares iudices habēt. In quo ego omnipotēti deo gratias ago, & peccatis meis deputo. Et ad quendam episcopū, Exorate (inquit) Dominum, vt citius me saluet a peccatorum meorū nexibus, & pondere corruptionis corporis huius. Quamuis enim inestimabilis sit cælestis

Idem. Epist. 35 episc. Sermiensi.

cæleſtis patriæ dulcedo quæ trahat, multi tamē in hac vita dolores ſunt, qui ad amorem cæleſtium quotidie impellunt: quoniam dolores in hoc ipſo ſolum vehementer placent, quia placere in hoc mundo aliquid non permittūt. Quot autem, & quantas calamitates pertulerit Grego. ſuo tempore, conſidera ex hac epiſtola, & tribus præcedentibus. A viginti & ſeptē annis (ait) viuimus inter gladios longobardorū; & non niſi datis iugiter multis pecunijs, nos viuere ſinunt. Cuncta in europæ partibus iuri barbarorū ſunt tradita: deſtructæ vrbes: euerſa caſtra: depopulatæ prouinciæ: nullus terræ cultor inhabitat &c. Et vno ac eodem tempore (ait) mihi incumbit omnium epiſcoporum, ac clericorum, monaſteriorum, pauperum, & populi curam gerere: ac contra inſidias hoſtiū ſolicite vigilare, & contra ducum malitias ac fallacias ſuſpectum ſemper exiſtere. Nam benigniores videtur nobis hoſtes noſtri qui, nos interimunt, quàm noſtræ reipublicæ iudices, qui nos malitia ſua, rapinis, atq; fallacijs, in cogitatione conſumunt. Penſa (ait) cuius laboris, & doloris ſunt hæc. tandem in fine epiſtolę. 35. aſſerit, Me infelicem vehementer deputaui, qui hoc tali tempore regimen eccleſiæ ſuſcipere conſenſi. Et ad Anaſtaſium epiſcopum, Scio quàm graue ſit experto culmine internæ quietis, negotia externa tolerare: *Idem. Epiſt. 37. lib. 4. in. ſed dic. 13.*

ſed tempora dolorem tuum, ſciens quia omnibus omnia factus es: Ad te pertinet vtraq; manu pro dextera vti, vertendo ſiniſtram in vſum dexteræ, ideſt pertrahendo terrena opera ad cęleſtem vtilitatem. Dum enim cura temporalium ad vtilitatem iuſtitiæ ducitur, ad fortitudinem dexterę permutatur ſiniſtra: Et quidē ſine graui labore, & tedio eſſe nō poſſum: ſed recordemur laborum patrum noſtrorum, & dura non erunt quæ toleramus: Per multas enim tribulationes, oportet nos introire in regnum dei. Et Apoſtolus dicit, Supra modum grauati ſumus, ſupra virtutem, ita, vt tæderet nos etiam viuere. Quomodo igitur ſine labore tranſire poſſumus ęſtum huius ſæculi infirmæ nos oues, in quo grauiter ſudaſſe nouimus & arietes? Quantas ego tribulationes in hac terra patior de longobardorum gladijs, de iniquitatibus noſtrorum iudicum, de inſolentia & importunitate cauſarum, de cura ſubiectorum, de moleſtia corporis mei, explicare, nec calamo, nec lingua ſufficio. Hęc ille. Et excuſans ſe, quia non reſpondet ad omnia, Tantis (ait) tribulationibus circunfuſus premor, vt non dico multa tractare, ſed mihi reſpirare vix liceat.

2. Cor. 1.

Idem. Epiſt. 38 epiſc. con ſtātin. ut ſupra.

¶ Et alibi; Innumeras amaritudines patior: ſed deo gratias ago, quia minus valde affligor, quàm mereor. Fige animo verba Sapientiæ. 3.

Idem. Epiſt. 40.

Et si coram hominibus tormenta passi sunt; spes electorum immortalitate plena est: in paucis vexati, in multis bene disponentur. Et ad Columbum episcopum, qui ei scripserat, quòd patiebatur multorũ inimicitias, respondet, Dubium non est frater, bonos prauorum odia sustinere: diuinisque intentos operibus peruersorum aduersitatibus lacerari. Et ibi, Minus pie viuis, si minus persecutionem pertuleris. Et Apostolus. Ipsi scitis fratres introitũ nostrum ad vos: quia non inanis fuit, sed ante passi multa, & contumelijs affecti. &c. Ecce Apost. ingressum suum vacuum fuisse dixisset, si contumelias non pertulisset. Sicut enim (ait) semina messium gelu cooperta, fertilius germinant, sic charitas dum inter aduersa astringitur, ad augmentum diuini amoris, ac bonæ operationis assurgit. Scio quòd ex tot malarũ linguarum sermonibus peruersis, tempestatẽ validam pateris; & in mente contractionum fluctus sustines. Sed memento quòd scriptum est, Exaudiui te in abscondito tẽpestatis: probaui te apud aquas cõtradictionis. Si enim inter cõtradicentes in his, quæ sũt dei persistis, tunc verus operator probaris. Et in alia, Memento quòd suis dixit Dominus, Plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit. Et itẽ rum, In mundo pressuram habebitis. &c. Et filijs sæculi, Hæc est (ait) hora vestra, & pote-

Idem. Epist. 2. lib. 6.

Idẽ. Greg. Narsæ relig. Epist. 27 lib. in dic. 15.

1. The. 2.

Psal. 80.

Greg. lib. 7. reg. ind. 18 epi. 31 episc. antiocheno.

Io. 16.

Luc. 22.

epist. 25. stas tenebrarum. Idem, christianum animum
episc. Ia- aduersitas non deijcit, sed accendit, promptior
terdino ut est in duris, fortior in aduersis, audaciorq; in
supra. omnibus se exhibet vigor sacerdotalis: quia cũ
ecclesia super petrã Christi fundata est, quem
Idem. nulla impulsio conuellat. Et in alia, Vuæ (in-
quit) & oliuæ in torculari præmuntur, vt vi-
num & oleum ab eis exprimatur: spicæ quoq;
prius excutiuntur & triturantur, vt purum no
bis frumentum exhibeant: ita ergo viri sancti
Epist. 25 triturari, & premi varijs laboribus debent, vt
lib. 7. virtus eorum magis emineat.
Greg. li. 7 ¶ Idem, Tantis podagrę doloribus, tantisque
Epi. 127. curarum tumultibus premor, vt quamuis nũ-
Italiæ pa quam me aliquid fuisse reminiscar, valde tamẽ
triciæ. in- me videam non esse qui fuerim. Idem, Ecce iã
dic. 2. to. vndecim menses sunt, quòd valde rarum est, si
2. de lecto surgere aliquãdo possum: tantis enim
Epi. 35. podagræ, tantisq; molestiarum doloribus pre-
lib. 8. pa- mor, vt vita mea mihi grauissima pœna sit:
triarchæ quotidie enim in dolore deficio, & mortis re-
alexand. medium expectando suspiro. Idem, Corpus
ind. 3. meum tamquam in sepultura, ita siccatum est
& Epist. podagra, & assidua animi exacerbatione.
38. lib. 9. ¶ Idem, Quidã Traianus episcopus missus ad
Rustici- incognitum locum, petijt a quodam Abbate
nianæ pa sibi dari quatuor, aut quinq; monachos ad so-
triciæ, in- latium: quos iussit dari Grego. rationemq; in-
dic. 4. tulit, quia pergens is ad locum incognitum,
si pro-

ſi proprios quorũ conſolatione vtatur nõ habeat, mẽs affecta triſtitia, minus ſe ad ea, quę vtilitatis ſunt erigit: & ante incipit ſuccumbere, quàm laborare. Idem, Sunt penè duo anni, ꝙ lectulo teneor, & tantis podagrę doloribus affligor, vt vix in diebus feſtis, vſq; ad trium horarũ ſpatiũ ſurgere valeã, miſſarũ ſolemnia celebraturus. Mox autem compellor cum graui dolore decumbere. Quotidie in morte ſum, & quotidie repellor a morte, quia peccator grauis talis corruptioni carcere diu teneor incluſus, & compellor clamare, Educ de carcere animam meã. Idem, Hoc certiſſime ſcito, quia placere deo, & prauis hominibus nullus poteſt. In tãto ergo ſe exiſtimet fraternitas tua deo placuiſſę, quanto ſę peruerſis hominibus diſplicuiſſe cognouerit. Humani autem terrores & fauores, ſunt ſimiles fumo, qui leui aura raptus, mox euaneſcit. Baptiſta laudatur quia non erat arundo vento agitata, non humiliabatur vituperijs, non erigebatur laudibus, ¶ Memento, dicit Auguſtinus, ꝙ tribula dei incedit ſuper triticũ, & ſuper paleam: & ſub eadem tribula comminuitur palea, & triticũ purgatur, & manet integrũ: ſic tribulatio ſuper bonos & malos. & quidẽ malus homo eſt virga dei ad flagellãdum bonum. Sicut (inquit) aliquando iratus pater apprehendit virgã, & cedit ea filiũ, cui tñ ſeruat hæreditatẽ, ac deinde

Idẽ. epiſt. 1. l. 8. Romano defen. ind. 3. lib. 8. ind. 3. epiſt. 35. in pri. patriar. alexand. to. 2. epiſt. Salon. epiſt. 36. imed. ut ſupra.

Auguſt. pſ. 73.

proijcit eam in ignē: sic Deus per malos damnandos, exercet disciplinam bonorum liberandorum.

Idem. ¶ Iulianus pelagianus scribens contra libros Augustini, multa conuitia in eum euomit: cui respondens August. in principio libri dicit, Non putes Iuliane, quòd ego contemno contumelias tuas: nō possum contemnere ea, quæ sunt mihi materia gaudij, & tristitię: gaudij

Matth.5. quidem, quia scriptum est, Beati estis, cum dixerint omne malū aduersum vos &c. & tristitiæ, propter phrenesim tuam: iuxta illud

2.cor,11. Apostoli, Quis scandalizatur, & ego non vror? Vnde patet, quòd debemus dolere, quando aliqui detrahunt nobis, propter eorum vide-

Idem. licet damnum. Dicit etiam August. Faciat ali-

ps.128. quis aliquid mali: obiurget episcopus, Malus est (inquiunt) episcopus: non obiurget episcopus, bonus est. Et cum episcopus est constans in arguendo & suadendo, mox per suspitiones quærunt crimina aduersus eum, & dicunt, Hic non facit ea, quæ dicit. Et frequenter etiam imponunt ei, quę non facit: ea vero quæ bene facit, male fieri dicunt: & peccata

psal.128. quæ tolerat, vitio ei vertunt. Dicat ergo bonus episcopus, Sæpe expugnauerunt me &c. tamen non potuerunt mihi, idest non præualuerunt contra me, vt præbeam cōsensum peccatis eorum, quid ergo fecerunt mihi? Supra

dorsum

dorsum meum &c. O quàm præclare dictum est, Non possumus peccatores trahere ad bona: nec ipsi nos possunt trahere ad sua mala: quid restat? Nimirum, vt toleremus eos. Dicat ergo episcopus, Ascẽde super dorsum meũ, tolerare te habeo, quo vsque veniat finis: sic mihi præceptum est, vt fructum afferam in patientia. Non ergo te corrigo: sed tolero te, aut forte cum te tolero, corrigis te; si tamen non corrrigis te vsq; in finem, tolero te vsq; in finem. Numquid semper super dorsum meũ eris? Veniet qui te inde excutiat, quando scilicet hinc decesserimus, triticum ibit in horreum, palea in ignem. Impugnauerunt ergo me: tamen non oppresserunt. O securitas (inquit idem) tribulationum: Fortior fuit Iob in sterquilinio cõtra suam Euam, quàm Adam in paradiso contra suam. ¶ Nihil ita probat virũ spiritualem, quàm peccati alieni tolerantia: quoniam spiritualis potius liberationem eius, quàm subsannationem, potius auxilia, quàm conuitia meditatur. Ideo dicit Apostolus, Fratres, & si præocupatus fuerit homo in aliquo delicto &c. Alter alterius onera portare, idest difficiles mores & peccata. Nam qui viuit inter bene moratos viros, non portat, sed portatur. Igitur tolerãtia infirmorum, & conuersatio malorum, est magna pars crucis. Item, idem August. Impij mentientes nosmetipsos

Luc. 8.
Idem. *ps.* 133.
Iob. 2.
Gala. 6.
Idem. *ps.* 141.

ex semetipsis, dicunt de nobis (scilicet episcopis) quòd quærimus in ecclesia honores, laudes, & vtilitates temporales. Quàm multi dicũt de me, ꝓpterea me prædicare vobis, vt acclametis & laudetis me: & hunc me habere finem, & hanc intentionem, cum loquor. At quomodo potero eis ostendere intentionem meam? Quomodo illi sciẽt quod vix ego scio? nec enim ego me ipsum iudico &c. Ergo pie

ps. 141. pureq; clamemus ad dominum, Tu cognouisti semitas meas. Vis vt dominus ducat te per semitas suas? esto mitis, esto mansuetis, non ferox, non superbus, non excussa & erecta cer-

psal. 34. uice: quia scriptum est, Diriget mansuetos in iudicio &c. Idem, Nonne pater cũ blanditur,

Idem. & cum flagellat, hęreditatem parat? Dic mihi,

ps. 32. tu fateris te esse membrum Christi: si sic, quare nõ vis sustinere illam portionem passionũ, & pressurarum, quæ tibi deputata est? Nam vt

Idem. dicit idem Augustinus, Si non oporteret vnũ

psal. 61. quodq; membrum Christi exoluere, quasi canonem passionum in toto processu mundi, nõ

Colo. 1. diceret Apostolus, Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea. ¶ Item ibidẽ, Aurum non lucet quandiu est in fornace aurificis, in monili lucebit, in ornamento lucebit. Patiatur tamen fornacem, vt purgatum fæcibus veniat ad lucem. Palea in fornace ardet, aurum purgatur: illa in cineres vertitur, hoc sordi-

ſordibus purgatur fornax, mũdus : ignis, tri- *Idem.*
bulatio : aurifex deus. Et Auguſt. cõtra ſecun- *lib. 2.*
dam epiſtolam Gaudentij exponẽs illud, Om- *2. Tim. 3.*
nes qui pie volunt viuere in Chriſto, perſecu-
tionem patientur, dicit, quòd perſecutio eſt
non ſolum quando aduerſitas affligit, ſed etiã
quando proſperitas ſeducit, vt homo elationẽ
euaneſcat. Item, perſequitur pios, non ſolum
qui eorum corpora cruciat, ſed multo magis
qui corda, iuxta illud, Vidi præuaricantes, & *Pſ. 118.*
tabeſcebam. Magna ergo perſecutio eſt pijs &
continua, videre aliena peccata. Sicut Abſalon
multo amplius perſecutus eſt cor paternum
in impietate moriendo, quàm viuens contra
eum bellum gerendo: quemadmodum & So-
domitæ ſuis moribus cruciabant Loth. Vnde
& Dauid pater optimus filium, quem non de-
ſperando, non defleuerat viuum, ſpe finita, fle-
uit occiſum. Hæc ergo perſecutio numquam
deeſt pijs, ſcilicet dolere malitiam impie vi-
uentium, & perditionem morientium.

¶ Quàm vtiles ſint tribulationes, egregie pro- *Chryſoſt.*
bat Chryſoſt. ſuper Pſal. Ad te leuaui oculos *pſal. 122.*
meos: Hunc enim (ait) dixerunt Iudæi con-
ſtituti in captiuitate babilonica: qui tamen in
patria ſua obliuiſcebantur dei, confidentes in
auxilio Ægiptiorum: & idolorum ſuorum.

¶ Et dicit idẽ, Nõ quæras vitã ab omnibus ne- *Idem.*
gotijs, periculis, & afflictionibus ſe motam: *pſal. 124.*

ſed quærere non inuolui, ac deprimi a talibus negotijs & periculis: nam in portu quieſcens homo, redditur ignauus, mollis, & eneruatus; At, qui vndoſum mare tráſmittit, & multas rupes marinas, multos ſcopulos, & ventorũ impetus ſuſtinuit, hic animum robuſtioré fecit,

Idem, pſ. 141. ¶ Pulchris exemplis oſtēdit Chryſoſt. vtilitatē tribulationum. Sicut enim (ait) agricola ſcindit comas vitium, & aliarum arborum, ne nimis luxurientur, vt humores & vires in radices omnino conuertantur, ne in folijs cōſumptæ, producant fructus inanes & inutiles: ſic oportet abſcindi proſperitates temporales, vt homines conuertantur in radices, ideſt totas cogitationes ponant ininternis & æternis bonis, & non ſupereffluant in folia: hoc eſt, in vana, innutilia, & infructuoſa: ſed producant perfectum fructũ pietatis. Sic aqua quæ quieſcit, eſt noxia: quæ autem agitatur, vexatur, currit, eſt ſalubris. Vide totùm pſalmum, qui pulcherrime ibi exhortatur ad tolerantiam tribulationum.

¶ Item, Quādo Apoſtolus dicit ad Philipen, 4. quòd pax Chriſti exuperat omnē ſenſum, intelligit, quòd carnales nõ poſſunt capere, quomodo ſit poſſibile, quòd homo in magnis tribulationibus conſtitutus, poſſit ſeruare pacem cordis, ideſt quietem; & habere gaudium in eis, hoc nõ percipiunt niſi experti. Aſſequun-

tur vero hanc pacem, quando in tempore tribulationis constituti, ex corde iustificant Deū, & seipsos damnant; sicut illi tres pueri qui dicebant, domino Deo nostro iustitia, nobis autem confusio, sicut est dies hæc, Et Dauid, Laudās inuocabo dominū: & ab inimicis &c. Et si insurgant tentationes diffidentiæ, præsertim de salute æterna, tunc magis insistendum in eadem cōsideratione diuinæ iustificationis, certissime credendo, quod Deus tecum aget quod iustissimum & æquissimum fuerit, siue perdat siue saluet: quamuis hoc ipse non videas. Et hoc est benedicere dominum in omni tempore. Danie. 3.

¶ Et ipse Chrysosto. horribiliter loquitur de oneribus episcopalis officij: Vocat enim ipsum, pelagus laborum, & abyssum ærumnarum. Et loquitur de pauoribus, & consternatione animi quam passus est, cum audiuit se promouendum. Chrysost. lib. 3. & 6. de sacer.

¶ Bernardus consolans quendam Abbatem in tribulatione constitutum, dicit, Quòd sicut in electis tribulatio operatur patientiam &c. (vt dicit Apostolus) ita conuerso in reprobis, & damnandis tribulatio parit pusilanimitatem, pusillanimitas perturbationem: perturbatio desperationem, Igitur non vincaris a malo, sed spem tuam fortiter in Deo fige, & rei finem longanimiter expecta, Ibi iurat in hanc formā, Bernar. Epi. 32. Rom. 5.

O quàm

O quàm sincere tibi consulerem, si scirem: quã iuuarem, si possem: ita mihi in tribulationibus meis subueniat is, qui oĩa scit, & omnia põt.

Epist. 72. Ad abb. Asniacẽ. ¶ Et alibi, O vere leue onus Christi, quod portantem non grauat, sed leuat. Quid eo leuius onere, quod non solum non onerat, sed & portat omnem cui portandum imponitur? Est onus exonerans, sicut pennæ auium, quæ ferunt a quibus feruntur. Nam esto appositis pennis onus crescat, tamen sarcina est leuior. idem de quadriga intelligendum est. Sic enim oneri grauissimo legis, accedens quadriga euangelij, & auxit perfectionem, & difficultatem minuit.

Bernar. Epist. 73. Ad eundẽ ¶ Bernardus præfecerat Ramaldum in Abbatẽ cuiusdã monasterij, vbi erãt monachi inquieti, ideo sæpe is ad Bernar. scribebat, plangens dolores, & labores suos. Rescribit vero ei Bernardus, & inter alia monet eũ, ne omnia mala quę ferebat, ei significet: ne adderet tristitiam sup tristitiam. Et quia ille ita fecerat, Bernar. non ferens ignorare, quę circa illum agebãtur, scripsit ei rursus Epist. 74. omnino obtestãs eum, vt omnia ei mala nuntiaret: quia in maiore tristitia & timore viuebat, postea quàm cessasset scribere, quia semper timebat grauiora pericula veris: charitas enim non sinebat eum esse sui iuris: Charitas (inquit) cum semel affecerit mentem, sui iuris esse non sinit: metuit quod nescit, dolet quod non oportet, solicitatur.

tatur plus quàm vult : compatitur nolens : miseretur inuita. *Idem. Epi. 126. ad episc. aquitaniæ*

¶ Virtus (ait idem) in pace acquiritur, in pressura probatur, in victoria approbatur.

¶ Item, Si tristitiæ semper acciderent, quis sustineret? Si semper prospera, quis nō contemneret? Diuina igitur sapientia sic pio moderamine hęc alternauit electis, vt nec aduersa frāgant, nec læta dissoluant : cū potius illa ex istis gratiora, & illa ex ijs tolerabiliora sint. accipiunt enim vulnera nostra post, vinum, oleū. *Idem. Epi. 136. ad episc. papiensē.*

ZELVS IVSTITIÆ, FORTITVDO *ac magnanimitas, contra peccata.* *Caput.* IX.



LOQVERE (inquit Paulus) & exhortare, & argue cū oī imperio: nemo te cōtemnat. De hoc differit Greg. ī past. Cap. 15. vbi inter cetera sic dicit, Sæpe prelati improuidi humanā gratiā, amittere formidātes, loq̃ libere recta ptimescūt: In hoc iā nō pastores, sed mercenarij: q̃a lupo oues vorante, ipsi silēt: assimilati canib⁹ mutis nō valētibus latrare: quibus ab increpatione debita silētibus, dicit. Non ascendistis ex aduerso, nec opposuistis vos murū ꝓ domo Israel, vt staretis in prælio in die Dñi. *Ad Tit. 2* *Esa. 56.* *Ezec. 1.*

Assimi-

Assimilantur enim terga vertétibus hi, qui ex zelo iustitiæ resistere peccatoribus nō curant. Et ibi late suadet, quòd hoc peragat, non fluxa loquacitate (quæ potius turbat peccatorem, quàm curet) sed verbis grauitate, & sapientia plenis. Vnde consecrator episcopi dicit ei, Accipe baculum pastoralis officij, vt in corrigendis vitijs pie sęuias : iudiciū sine ira teneas &c.

Cap. Irrefragabili. Vnde de officio ordinarij ex Concilio habentur hæc verba, Irrefragabili constitutione sancimus, vt ecclesiarum prælati ad corrigendum subditorum excessus, maxime clericorum, & reformandos mores, prudenter ac diligenter intendant, ne sanguis eorum de eorum manibus requiratur: vt possint dicere quod Paulus

Act. 20. Ephesijs, Mundæ sunt manus meæ a sanguine

Distinct. 83. omnium vestrum. Nam error cui non resistitur, approbatur: & facilitas veniæ incentiuum

23. q. 4. est eiusta tribuit delinquendi. Qui vitijs (ait Aug.) nutriendis parcit, ne contristet peccantium vo-

Et 23. q. 5. luntatem, tam est misericors, sicut ille qui non vult rapere puero cultrū, ne audiat plorantē:

psal. 34. & nō timet ne, vel vulneratum doleat, vel extinctum. Et dicit idem Aug. Lethargici excitāturḫ, phrænetici ligantur : tamen vtriq; amantur. Et in quadam epistola sic dicit, Pia tristitia ac beata miseria est, vitijs alienis tribulari, non implicari : merere, non habere : dolore contrahi, non amore trahi: mentibus namq; sano-

rum

rum amicorum fletum commouet risus phreneticorum. Igitur o pastor pete a domino, vt de te aliquando dicere possis quod de seipso dicit propheta Micheas, Repletus (inquit) sum fortitudine spiritus domini, iudicio & virtute: vt annuntiem Iacob scelus suum, & Israel peccatum suum. Qualis erat Chrysostomus, in cuius vita habes, quòd cum clericorum vitia exemplo, verbis, legitimisq; pœnis audacter insectaretur, magnam ipsorum in se concitauit inuidiam. Tandem multis calamitatibus, multisq; laboribus propter ecclesiam, & morum correctionem exhaustis, vitam finiuit. De huiusmodi pastoribus dicit Dominus Matthæi 10. Eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum: Qui autem perseuerauerit vsq; in finem, hic saluus erit. Igitur o pusillanimis, noli fieri iudex, nisi valeas virtute dirumpere iniquitates: ne forte extimescas faciem potentis: alioquin non episcopus, sed canis impudēs reputādus es, vt habet distin. 83.

Micheas. 3.

Eccle. 7.

¶ Gregorius in Pasto. de correptione vitiorū, ita ait, Vitia quędam sunt prudenter dissimulāda, quia eo ipso quòd dissimulantur iudicātur (videlicet, quādo delinquens deprehendit culpas suas cognosci a rectore, & ppeti) eo ipso erubescit culpas augere, quia tacite considerat pastoris erga se patientiam, tolerantiam, & clementiam: & hanc dominus exprobrabat peccatrici

2. p. c. 10.

Esai. 57.

catrici Iudçæ dicens, Non cogitasti in corde tuo, quia ego tacens, & quasi nō videns. Quædam autem etiā aperte cognita, mature toleranda sunt: cum videlicet nondum oportunū tempus aduenit, vt aperte corrigantur: nam secta immature vulnera, deterius feruescunt, & nisi cum tempore medicamenta conueniāt, constat proculdubio quod medendi officium amittant. Sed cum tempus subditis ad correptionem quæritur, sub ipso culparum pondere, patientia præsulis exercetur. Ideo scriptum
ps. 128. est, Supra dorsum meum fabricauerunt peccatores, idest quos corrigere nequeo, quasi supimpositum dorso onus porto. Quædam sunt occulta vitia subtiliter perscrutāda, vt aliquibus signis erumpentibus, rector in subditorū mēte omne quod clasum latet inueniat, & interueniente correptionis articulo, ex minimis maiora cognoscat: quod fit diligenti inquisitione, vel matura correptione. Quædam vitia sunt leniter arguenda, vt quando quis peccat ex ignorantia, vel ex infirmitate: vnde Aposto. Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, huiusmodi corripite &c. Quædam autem sunt vehemēter increpanda: vt quando quis ex se non agnoscit quanti sit ponderis culpa sua, ex ore increpantis hoc sentiat: debetq; cum magna zeli asperitate accendi cōtra obstinatos, & crimina sua

alle-

alleuiantes: ne si minus contra culpas accendatur, culparum omnium reus ipse teneatur. Cum enim nihil acrius rectoris mentem frangat, & excruciet quàm zelus dei (dicēte Apost. Quis scandalizatur, & ego non vror?) fit, vt in verba aspera contra vitia prorumpat: & quia tunc sæpe exceditur in verbis, petenda est venia ab omnium domino. 1.cor.11.

¶ In. 3. parte, describit idem varios modos arguēdi, & admonēdi, iuxta variā delinquētiū cōditionē: Iuuenes. n. peccātes plerumq; sunt increpādi: senes vero blando sermone attrahēdi, iuxta illud, Seniorē ne increpaueris &c. Itē potētes sæculi, sunt artificiose arguendi, ne se erigāt cōtra corripientē: sicut fecit Nathā cū Dauid. Sapiētes vero delinquētes, sunt efficacibus rationibus superādi: inuerecūdi, sunt duris increpationibus cōpescendi. Verecundos autē, modesta exhortatio melius cōponit. In illos ergo directe inuehendū: hos quasi ex latere tangere sufficit. Proterui q nō cognoscūt mala sua, & exaltāt bona sua, apertis rōnibus cōfundant. Pusillanimes autē, qui nimis cognoscūt infirmitatē suam, & valde despiciunt bona sua, laudandi imprimis sunt de bene gestis, & leniter reprehendendi. Astuti & duplices, artificiose sunt disquirēdi: hi enim cum sint quasi deprehensi in crimine, tantū acutis & apparentibus defensionibus se palliant, more hereticorum, Gregor. 1.Tim.4. 2.Reg.12

qui cum deprehenduntur varijs modis elabũtur. Illi autem qui sic iniquitatibus duruerũt, quod nec per flagella corrigũtur, tanto acriori inuectione feriendi sunt, quanto maiori insensibilitate obduruerunt, plerumq; enim (ait Greg.) sine dedignatione dedignandi sunt, & sine desperatione desperandi: ita duntaxat vt ostensa desperatio formidinem incutiat, & subiuncta admonitio ad spem reducat. Contra hos ergo dura verba scripturarum adducenda

Prou. 17. sunt, vt illud, Si contuderis stultum in pila quasi ptisanas, feriente desuper pilo, non au-

Hier. 5. feretur ab eo stultitia eius. Item, Attriuisti eos, & renuerunt accipere disciplinam. Addit tamen quòd etiam aliquando illi, qui per flagella & dura verba non corriguntur, nonnumquam per blandimenta curantur: quia quædã vulnera, quæ curari incisione nequeũt, fomẽtis sanantur: & adamas, qui incisionem ferri non recipit, hirci sanguine mollescit. Hæc Greg. Perturbati & in furore iracundiæ constituti, non sunt directe, & aperta increpationẽ arguendi, sed potius declinandi: vt ad se reducti tanto libentius exhortationis verba recipiant, quanto se tranquillius toleratos erubescunt: quia menti furore ebriæ, omne rectum quod dicitur, peruersum videtur. Aliquando tamen in ipso feruore, nõ directe, sed quasi auersa hasta, sunt tranquille feriendi, ac pruden-

prudenter acutis, ac lenibus verbis tangendi.

¶ Elati vtiliter corripiuntur, si eorum correptionibus, quædam laudum fomenta misceamus. prius enim laudando bona quæ in eis sunt, fit placabilis eorum mens ad resecanda mala, quæ in eis sunt: sicut equos indomitos prius blanda manu tangimus, vt eos nobis plenius postmodū, etiam per flagella subigamus. Similiter conducit ad persuadendum elatis, si eorum emendationem, vel meliorationē nobis magis quàm illis profuturam dicamus: & eam magis nobis, quàm sibi impendi postulamus: facile enim ad bonum elatio flectitur, si & alijs eius inflexio prodesse credatur. *Idem.*

¶ Gregorius pluribus admonitionibus vtebatur contra delinquentes prælatos. Vnde episcopum Salonitanum negligentem, epulonem, qui quendam Archidiaconum iniustè expulerat, sic alloquitur. Fraternitas tua post frequentatam toties admonitionem, a culpæ suæ errore resipiscat. quod si forte facere distuleris, vsum tibi pallij, qui ab hac sede concessus est, noueris esse sublatum: si vero amisso pallio, in eadem pertinacia persistis, participatione corporis, & sanguinis Domini te noueris esse priuatum. Et comminatur post diligentem inquisitionem, amotionem ab episcopatu: ac tandem in fine concludit, Nos nullum pro personali amore defendimus, sed auctore deo, nor- *Idem. Epist. 14. lib. 2. indic. 10. to. 2.*

mam iuſtitiç, poſtpoſita cuiuſlibet perſonæ acceptione, cuſtodimus. Ad epiſcopum pertinet leuia delicta in alijs, præſertim nobilibus tolerare. Vnde Gregorius, quia quidam patricius de animoſitate accuſabatur, reſpōdet, Quanto eum nos loco, & ordine præimus, tanto (ſi qua ſunt eius leuia) tolerare mature, & grauiter debemus. Ibi etiam nota verba prudentiæ plena, Si ea (inquit) quibus Deus vehementer offenditur, inſequi, vel vlciſci differimus, ad iraſcendum vtiq; diuinitatis patientiā prouocamus. Multa enim mala ad nos de quibuſdam in ciuitate Patno peruenerunt, quæ quoniam maiorem correctionem expectant, nec temere credenda, nec deſidioſe quærenda ſunt.

Idē. lib. 2. Epi. 32. epiſc. rauen indic. 10. Idem. Epi. 66.

¶ Iubet etiam prouideri de alimentis Agathoni ab epiſcopatu, ob delicta deiecto. Item arguit Rauennatē epiſcopum, quia per plateas pallio vtebatur in letanijs, cum non niſi in miſſarum ſolemnijs illo vti liceat. vnde ait, Decorari pallio volumus forſan moribus indecori, dum nihil in epiſcopali ceruice ſplendidius fulget, quàm humilitas. Idem etiam docens epiſcopum Mediolanenſem, quomodo ſe debeat habere in punitione vitiorum, Vitia (ait) maturis obiurgationibus increpate, vt ipſa quoq; ſacerdotalis indignatio virtute dulcedinis ſit admiſta: quatenus & tūc a ſubiectis amari debeat, etiam cum grauiter timetur,

Idem. lib. 2. ind. 11. epiſt. 53. epiſc. ſyracuſano.

Hoc enim facit, vt in reuerentia habeatur pastor: quia ficut præceps furor vſitatuſq; deſpicitur, ita cōtra culpas diſcreta indignatio plerumq; quo tarda fuerit, eo amplius ſit timēda.

¶ Et ibi ad epiſcopos, Oportet vos diuini reſpectu iudicij, clauſis carnalibus oculis, nullius hominis faciem rectitudini iuſtitiæ præponere. Confido enim in omnipotente domino, quia (quod ad intentionem meam attinet) numquam ſino fieri, quod meam poſſit grauare animam. Item adhortans Diaconum conſtantinopolitanū vt ſe opponeret contra ſuum epiſcopum, qui ſibi nomen vniuerſalis vſurpauerat, Numquam (ait) in hoc conſentias: in nullo trepides, quidquid agendum in hac cauſa eſt, cum ſumma auctoritate age. *Epiſt. 16. lib. 3. indic. 12. in prin.* *Epi. 39. li. 4. ind. 13.*

¶ Idem, Ego ex domini largitate hoc habeo, quòd cum quorumdam hominum ſuperbis actibus contradico, charitatis intimę cuſtodiam numquam relinquo: ſed ſic ea quæ ſunt iuſtitiæ foris exequor, vt ea quę ſunt amoris minime poſtponam. Quia quidam epiſcopus litteras apoſtolicas miſſas a Gregorio, ac publice lectas, publice ſcindi fecit, Gregorius ſcribens Diacono ſuo dicit, Qualiter hoc patiar ſcis: qui ante paratior ſum, mori, quàm beati Petri apoſtoli eccleſiam meis diebus degenerare. Mores autē meos bene cognitos habes, quia diu porto: ſed ſi ſemel deli- *Idem. epiſc. con ſtantin. epi. 4. lib. 6. ind. 15.*

berauero non portare, contra omnia pericula
Epist.81. lætus vado. Et ad Maximum episcopum prius
lib.7.in- criminosum, post humiliatum, tria ibi dicit
dic.2. notatu digna. Primum, credita (ait) sollicitudo nos vehementer angebat, ne quædam illicita, quæ de te audieramus neglig ẽter omittere videremur. Ecce, hic sollicitudo & zelus boni pastoris, Secundum, sicut cum perseuerantibus in culpa oportet esse districtos: ita cum resipiscentibus, oportet esse benignos. Tertiũ, vt tecum temperatius ageremus, exegit etiam petitio excellentissimi viri Galinici exarchi, cuius voluntatem nec pertulimus, nec potuimus contristari.

Greg.Regi uisigotorum. Epi.126. prope fin. li.7. ind. 2. to. 2. ¶ Item ad regem Recharedum, Quando (ait) delicta punienda sunt, curandum ne ira subrepat, ne fiat citius omne quod licet: Non enim ira debet præire, vt domina: sed post rationis tergum, velut ancilla famulari, vt ad faciem iussa veniat: nam si semel mentem possederit, iustum deputat, etiam quod crudeliter facit.
Idem. Epi.129. Ideo Iacobi 1. dicitur, Ira viri iustitiam dei nõ operatur. Sic tamen superata ira, debet in tranquillitate iudicium exerceri, vt tamen in ipsa tranquillitate seueritatis censurã non deseras.
¶ Hoc frequens in epistolis Greg. Quando nũtiabatur ei crimen, quod in aliqua diocesi accidisset, sine denuntiatione punitionis, mox increpatoriam epistolam mittebat ad episcopũ ob tar-

ob tarditatem punitionis: sæpe repetens hanc sententiam, Prius ad me punitionis, quàm delicti rumor perferri debuit. Dicit tamen, quòd illa episcoporum in puniendis delictis solicitudo est vtilis, & cautela laudabilis, quando totũ agit ratio, & furor nihil sibi vendicat: restringenda ergo (ait) sub ratione potestas est. Et quando audito crimine concitatur mens, nihil agendum, priùs quàm concitata mens ad tranquillitatem redeat. nam commotionis tẽpore, iustum putat ira omne quod fecerit.

Greg. duci campaniæ. Epi. 12. i prin. lib. 8. indic. 3.

¶ Et ibidem, In magnis (ait) criminibus seueritatem exigentibus, agendum vt culpam vltio corrigat, & correctis post gratia non negetur. Quando autem excessus non est magnus, sæpe ignoscendum, & relinquendum illi vnde verecundiam habeat: nam quandoq; plus viriũ habet discreta in correctione remissio, quàm in exequenda vltione districtio: quia illa facit plerumq; fideliorem ac subiectum; hæc vero obstinatum & æmulum. Quoties ergo (ait) ira animum inuadit, mentem edoma, vince teipsum, differ tempus furoris: & cum tranquilla mens fuerit, quod placet vindica. Ira numquam est sequenda, quia numquam debet præire: alioquin inter malignos spiritus reuocamur ad veteris hominis similitudinẽ, iuxta illud, Turbatus est a furore oculus me⁹: inueteraui inter omnes inimicos meos. est tamen

Greg. clementinæ patriciæ. epist. 16. a med. ubi sup.

Idem ad Leontium exconsulem. Epi. 51. a medio ubi su pra.

psal. 30.

Abbati li rinensi, epist. 8. in medio: lib. 9. indic. 4. men ira aliquando ostendenda, non tamẽ exhibenda: aliquando etiam exhibenda, quando videlicet placata mente irascimur in executione iustitiæ. Idem, in correctione hic est ordo seruandus; vt personas diligas, & vitia persequaris: ne forte aliter agens transeat in crudelitatem correctio, & perdas quos emendare de
Micheas. 30. sideras. Sic enim vulnus debes abscindere, vt non possis vlcerare quod sanum est: ne si plusquam res exigit ferrum impresseris, noceas cui prodesse festinas. Ipsa ergo tua dulcedo sit cauta non remissa: & correctio ipsa diligens sit, nõ seuera: sed sic alterum condiatur ex altero, vt & boni habeãt amando quod paueant, & praui metuendo quod diligant. Si diligenter legeris epistolas Gregorij, miraberis eius indefessam vigilantiam in correctione vitiorũ. Quotiescumq; nuntiabatur ei crimen alicuius per-
Eccle. 7. sonæ a fide dignis, mox satagebat, vel scriptis monere delinquentem, vel (si vitium graue erat & dubium) iniungebat alicui examen, vel citabat coram se personam: si vero euidẽs erat, puniri curabat. Deniq; nihil ommittebat de his, quæ prudens iustitia exigebat. Et Bernardus inquit ad Eugen. Moueatur indignatio tua contra oppressores: moueatur miseratio erga oppressos.

Tit. 2. ¶ Tito dicit Paulus, Hæc loquere & exhortare, & argue cum omni imperio. Et Timotheo dicit,

dicit, Increpa cum omni patientia: quia (inquit Gregorius) Timotheus feruentioris, & acrioris spiritus erat, ideo egebat temperamẽto & freno: Titus autem, quia mansuetioris, ideo calcari egebat & stimulo. Exhortatur idẽ reginam Angliæ, vt ei opem ferat ad punitionem prauorum sacerdotum, qui in regno suo degebant: quoniam eos (idest episcopos) quorum est hæc insequi, nec solicitudo eos mouet ad inquirendum, nec zelus ad puniendum. Et testatur quòd causa ruinæ populi, sunt sacerdotes mali: quia tunc populus, nec habet mediatores, ac intercessores dignos ante deũ: neq; exempla vitæ. & concludit quòd qui emendare potest, & negligit, participem proculdubio se fecit delicti, quod nõ emendauit. Vigeat ergo zelus rectitudinis in vltionem vitiorum. Vide quæso quod habetur distin. 83. de hac materia, sunt enim verba, quæ maximũ timorem ingerunt episcopis, in peccatorum correptione negligentibus. 1.Tim.4. Esai. 57.

¶ Ex Bernardo habes, quo perueniat homo vni vitio assuetus: obducitur enim ei callus, ita, vt iam non sentiat vulnus quod ante sentiebat: quia stupidum, & insensibile factũ est. quod enim ante iudicabat amarum, nunc iam dulce putat: quod ante importabile, nunc iam leue, immo delectabile fit. Cor sic induratum, iam ipsum non scinditur com-

 punctio-

punctione: non mouetur precibus: minis nō cedit: flagellis induratur: deum non timet; hominem non veretur; nouissima nō memoratur, nec curat &c. Quis quæso interius sanare poterit inueteratum concubinarium?

¶ Pij cordis est (ait Bernardus) cedere importunitati, quę ad id quod oportet, adduci non patitur. Ama & frequenta secretas admonitiones, & correptiones paternas: sæpe enim hæ bene natis ingenijs efficaciores, & vtiliores sūt, quàm publicæ aut iudiciales punitiones.

CONTRA PVSILLANIMITATEM, *& scrupulos conscientiæ, uanamq; tristitiam, sæpe infestantem nonnullos pios pastores.* Caput X.



LONGE oportet abesse cor episcopi a pœna illa quam iudæis dominus cōminatus est, Dabit tibi dominus cor pauidum, & animam mœrore con- *Deut, 28.* sumptam: sed potius ad eum pertinet verbum illud Moysi ad Iosue ducem constitutum, Confortare, & esto robustus: tu *Deut, 31.* enim introduces populum istum in terrā promissam &c. Verum quidem est (vt Chryso. dicit) quod fluctus animum episcopi concutientes, crebriores infestioresq; esse solent ventis *Chrysost. lib. 3, de sacer.*

mare

mare conturbantibus; attamen tunc vel maxime fiducia, ac fortitudine opus est. Legi (ait Bernardus ad Eugen. papam) apud quendam sapientem, Non est vir fortis, cui non crescit animus in ipsa rerum difficultate. ego autē dico, quòd fideli homini magis est inter flagella fidendum: & quamuis non succedant ad votū, quæ secundum deum conamur, deo flagellante nos, numquid ideo non debet homo facere quod tenetur, quia deus facit quod vult? Igitur & si videamus multa mala, non est deponendus animus, sed semper speranda sunt meliora: nūquā .n. magna bona mortalibus prouenerunt, quæ non præcesserint magna mala. Itaq; etiam in ipso malorum, & calamitatum diluuio, in latitudine cordis & fiducia ambulandum est: alioqui vbi libertas filiorum dei? vbi spiritus ille de quo Apostolus ait, Non accepistis spiritum seruitutis iterū in timore &c. *Rom. 8.* Animus igitur qui solum deum pre oculis habet, & facit quod in se est, cur agitabitur scrupulis? cur tristitijs euiscerabitur? cur spiritu pusillanimitatis constringetur? In Psalmo vbi nos habemus, iacta super dominum curā tuā, *psal. 54.* iuxta hebræum habetur, proijce onus tuum in dominum, idest fidenti animo onera curarum, ac tristitiarum tuarum, in domino proijce. Quòd si ante pastorales curas & molestias, fruebaris otio contemplationis, memento verbi Au-

bi August. sic dicentis, Nec otia vestra necessitatibus ecclesię pręponatis: cui si parturienti nulli boni ministrare vellent, quomodo nasceremini non inueniretis. Manebas forte in monte, leuatis manibus orans cum Moyse; iussit dominus vt descendas in campum cum Iosue pugnaturus cum Amalechitis: non deponas animum: quia nec in monte absq; timore viuendum est, neq; in medio Amalechitarũ diffidendum: quia Loth inter sodomitas fuit sanctus, & in monte solus agens, fuit incestuosus. de hoc Greg. in pastor. pulchre loquitur in hunc modum, Qui habet dona dei, vt possit esse pastor, si vocatus, suscipere renuit, plerumq; ipsa dona sibi auferuntur: quia non pro se tantum, sed etiam pro alijs acceperat: vnde dominus dicens, Si diligis me, pasce oues meas, clare docuit, quòd si testimonium dilectionis suæ est suscipere onus pastorale, quisquis virtutibus pollens ipsum suscipere renuit, pastorem summum conuincitur non amare. quòd si ideo curam pastoralem refugiunt, quia quietem contemplationis diligũt, sciant quòd de tãtis animabus rei sunt, quantis venientes ad publicum prodesse potuerũt: & iuxta legem, merito ecclesia in illũ expuet, quia noluit suscitare semen fratris sui Christi, defuncti sine liberis: quia paucos in vita dominus conuertit. dicitur autem expuere in faciem

Gregor. 1. parte. Cap. 5.

Io. 21.

tiem eius, quia exprobat quietem eius: & cõfusus & discalciatus manet vno pede. Qui .n. sui & proximi curam gerit, vtrũq; pedẽ calciatũ gerit in præparationẽ euãgelij pacis. qui autẽ sui dũtaxat, vnum pedẽ discalciatum habet.

¶ Gregor. ad quendam præsbyterũ inquit, Miror te contristatum detractionibus hominum, quasi non legeris, si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret. igitur inter verba laudantium siue vituperantium, ad mentẽ semper recurrendum est: & si in ea non inueniatur malum quod de nobis dicitur, magna debet generari lætitia &c. vocare tamen debemus detractores nostros, & tranquille monendi sunt, eisq; omnibus modis satisfaciendum, ne scandalizentur. si autem satisfactionem recipere noluerint, ex illo verbo consolatio sumenda est, Sinite illos: cæci sunt &c. Magna fiducia (ait Greg.) est plenæ mercedis in cælo, quando quis hic pro bono opere deridetur, aut despicitur. si patrẽ familias Beelzebub vocauerunt: quanto magis domesticos eius? Et Apostolus vt seductores, & veraces &c.

Idem. ad palladiũ de monte Syna. Epist. 45 li. 8. ind. 3 Io. 15. Mat. 15. 2. cor. 6.

¶ Ait etiam Greg. ad Patritium, Quoties stultos homines tibi derogare cognoueris, caue ne vel minima tristitia tangaris. si autem sine peccato tuo potes (data ratione) eorum compescere murmur, ad hoc teneris: vt ad sanitatem reducantur, vocando eos secreto, & eis rationem

Idem.

Act. 10. reddendo. Adducit autem ad hoc solicitudinē
& 11. Petri, in tollēdo scandala iudæorum in baptismo
Idem. Cornelij. Idem, Ego in tāto gemitu, & oc-
Epi. 24. cupationibus viuo, vt ad dies quos ago me p-
lib. 11. uenisse pœniteat: sola mihi cōsolatio est, mortis expectatio. Vnde pro me orate, vt de hoc carcere cito egrediar, ne tantis laboribus diutius torquear.

*Idem. Epi.*73. ¶ Bernardus ad Renaldum abbatem inquit, Onus, animarum est infirmarum: nam quæ sanæ sunt, portari non indigent, ac per hoc nec onus sunt, igitur ægros moribus exhortando, increpando, agis opus tuum, & portando sanas, quos sanando portas. Si quis vero ita sanus est, vt magis iuuet te, quàm iuuetur a te, huius te parem, non patrem cognoscas. tamen in sanis minus lucraris, quia tua tibi præmia minuis: in infirmis autem in tantum magis lucraris, in quantū magis grauaris.

¶ Non sis pusillanimis permittens te seduci, & trahi ab insipientibus ad eorum praua studia, vel minus bona consilia: quales erant illi quibus Apostolus per ironiam, & suggillationem
*2.cor.*11. dicit, Libenter enim suffertis insipientes, cum sitis ipsi sapientes: sustinetis enim, si quis vos in seruitutem redigit &c. Nulla ergo te verba, nulla mūdi auctoritas reuocet ab apostolicis, & rectis consilijs & institutis. Propter hoc e-
*Eccle.*13. nim scriptum est, Noli esse humilis in sapientia

tia tua: nę humiliatus in ſtultitiam ſeducaris. ¶Patres heremi valde commendabant diſcipulis ſuis, vt numquam demiſſo & inerti, ſed vigilanti & attento, ac ſolito animo ſemper incederent. Hoc enim modo, velut parati & in procinctu quodam erant ad omne bonum: paratus enim animus ad negotia, pluſquam dimidium eſt negotij. Scrupulis ſemper angi, & de peccato irrationabiliter morderi, interdum oritur ex nimio amore ſui, quo homo diligit ſe. ex quo oritur, vt plus æquo timeat periculum ſuæ ſalutis. Satagit etiam Sathanas, vt quando non poteſt auferre a corde hominis timorem dei, ſaltem faciat illum timere vana, & falſa pericula: vt non perfruatur pace conſciẽtię. Scrupuloſi ſunt valde contumelioſi diuinę bonitati, nec de illa recte ſentiunt, quaſi deus, iudex quidã eſſet iniquus, qui occaſiones quęreret ad homines illaqueandos: cum tamẽ ipſe pluſquam nos deſideret ſalutẽ noſtram. Quod autem a nobis potiſſimum requiritur, eſt firmiſſimum propoſitum ac decretum quiduis potius ſubeundi, quàm illũ offendendi. quiſquis vero tale propoſitum fixum in animo habet, non eſt cur debeat varijs ſcrupulis angi. ¶ Supremum remedium ſcrupulorum eſt, humiliter ſubmittere ſe aliorũ iudicio. hoc enim remedium a Deo datum eſt: vt qui ſua ſe prudentia curare non poteſt, aliena iuuetur. &

quamuis

quamuis contingat falli, & errare aliquãdo eũ qui consilium det, non fallitur tamẽ is qui accipit, quando ex mandato domini sequitur cõsilium eius. Omnis amaritudo animi vndecũq; veniat, efficaciter est repellenda: quia suauitas deuotionis quę omnem supereat dulcedinem, non potest esse simul cũ quauis amaritudine. Ideo vigilanter incedẽdum est, neq; vllus aditus sæculari tristitiæ, aut immoderatæ solicitudini aperiendus: sed eam omnem protinus in dominum projicere debemus: atq; fiducia securi, in pace & tranquillitate cor nostrum per-

Epi.258. petuo retineamus. Bern. scribens ad Eugeniũ papam, suadet vt non detineat in regimine pastorali quẽdam, qui omnino inuitus acceptauit, & inuitus exequebatur, allegans beatum Ambrosium dicentem, quòd nemo inuitus bene facit, etiã si bonum sit quod facit: quia nihil prodest spiritus timoris, vbi nõ est spiritus

Bernar. charitatis &c. Et ad ipsum qui obstinate reni-

Epi.206. tebatur curæ abbatiali (fratrem scilicet Ruale-

to.2. num) scribit epistolam, vbi hortatur eũ, quòd cõfortetur in domino, & nolit iam contra stimulum calcitrare. Induere (ait) fortitudine, confidens & sciens, quia gaudium domini fortitudo tua: induere igitur lætitia salutari. Et li-

Cap. 15. bro de interiori domo dicit, quòd tristitia omnis boni impedimentũ sit. Vis scire vnde oria-

August. tur diffidentia salutis? lege Aug. in præfatione

psalmi,

psalmi, Beati quorum, vbi hęc habet, mala con *psal. 31.*
scientia tota est in desperatione, bona cõsciẽtia tota est in spe: retrahit enim mala conscien
tia a spe. & subdit, qui igitur vult habere bonam spem, habeat bonam conscientiam; ad ha
bendum autem bonam conscientiam, credat, & operetur, Quid horres (inquit Augustinus) *August.*
labores? an nescis quia fornax mundus, ignis *psal. 61.*
tribulatio, aurum electi, palea iniqui, aurifex deus: ardet palea, purgatur aurum: palea vertitur in cineres, aurum purgatur a sordibus, quod vult ergo (inquit) artifex facio, vbi me ponit tolero: iubeor tolerare, nouit ille purgare: ardeat & fulgeat palea ad incendendum me, & quasi consumendum: sed tamen illa tandem vertetur in cinerem, & ego sordibus carebo. subiecta ergo esto deo anima mea: quia ab ipso patientia mea.

¶ Bernardus cuidam abbati, qui proponebat *Bernar. Epist. 83. 10. 5. carnot.*
dimittere abbatiam, vt sibi quietius vacaret, omnino hoc interdicit: tum quia charitas non quærit quæ sua sunt, tum quia sequetur scandalum & turbatio pacis. Libenter (ait) carebo quantolibet, etiam spirituali quæstu, qui non possit acquiri nisi cum scandalo, vbi enim scandalum, ibi proculdubio charitatis est detrimentum: Vbi autem est diminutio charitatis, nõ põt sperari spiritualis exercitij ꝓfectus. Item qui propriam quietẽ communi vtilitati præfert,

Philip. 1. præfert, non poteſt dicere; mihi viuere chriſtus eſt, & mori lucrum. & vbi erit illud, ne-
Rom. 14. mo ſibi viuit, & nemo ſibi moritur? Et illud,
1. *cor.* 10. Non quærens quod mihi vtile eſt, ſed quod
2. *Cor.* 5. multis vt ſalui fiant: &, Vt qui viuunt, iam nō ſibi viuant, ſed ei qui pro ipſis mortuus eſt? Et
1. *cor.* 7. illud, Alligatus es vxori, noli quærere ſolutionem &c? Deniq; ait, Illud deſiderium proprię quietis ſpiritualis, eſſe immiſſum a diabolo: q eam rationem excogitauerit turbandę vnitatis & pacis; atq; is ſuggerit, vt dimittat certum bonum quod tenet, ſpe futuri & incerti boni.

Bernar. epiſt. 86. *ad abb. S. Theodorici.* ¶ Et alium Abbatem in eodem caſu ſic monet, Tene quod tenes, mane in quo es, & ſtude ꝓdeſſe quibus præes: nec præeſſe refuge, dum prodeſſe potes: quia væ quidem tibi ſi præes & non prodes: ſed vę grauius, ſi quia præeſſe metuis, prodeſſe refugis. Et ad quendam qui

Bernar. Epiſt. 87. *ad Oggerium canonicum.* contra conſilium eius conatus fuerat, a ſe reijcere ſarcinam curæ paſtoralis, dicit, Attende ſi licuit Chriſtiano iniunctam ſibi dimittere obēdientiam ante mortem, cū Chriſtus factus fuerit obediēs vſq; ad mortem. Si dicis quòd impetraſti licentiam ab epiſcopo cedendi, dico ꝙ cum fuerit importunitate extorta, non fuit licentia, ſed violentia: quod enim tua importunitate victus epiſcopus, inuitus fecit: non fuit abſoluere ſed abrumpere. Gaudes quia exoneratus es, & ego vereor quòd deus ſit in

te

te exhonoratus: cuius proculdubio ordinationi resistis, dum promotus ab illo, tu te deijcis. Oportebat etiam patienter portare onus impositum, animo non frangi, pusillanimitate non vinci: & semel susceptum deponere nō licebat. Si allegas difficultatem, vel impossibilitatem, omnia possibilia sunt credenti. Hoc *Mar. 9.* verum est quòd ideo deposuisti, quia magis tibi placuit quies tua, quàm vtilitas aliena: nec mirum; placet fateor & mihi, quòd hæc quies placeat tibi: si tamen non nimis. Quodcumq; autem bonum ita placet, vt si recte fieri non possit, placeat tamen fieri eo modo, quo fas non est, nimis est: ac per hoc iam quia bene nō fit, non est bonum. Igitur oportuit te, vel non suscepisse gregem dominicum seruandum, aut susceptum nequaquam relinquere. nolo ergo te in desperationem mittere; quia iam fecisti: sed nolo quòd reputes hoc paruam culpam; sed ob illam semper timeas, semper pœniteas. Neq; putes me indignari, quia non acquieuisti consilio meo: cum potius quando mea sententia eligitur, graui onere premi me sentio, rei finem pauidus expectans.

¶ Cui iustius viuam, quàm ei, qui si non moreretur, ego non viuerem? Seruiamus ergo *Bernar.* illi in illa charitate, quæ timorem expellit, labores non sentit, meritum non intuetur, præmium non requirit, & tamen plus omnibus

verget: nullus terror sic solicitat, nulla præmia sic inuitant, nulla iustitia sic exigit.

2. *de uita contemp. Cap.* 16. ¶ Non consterneris animo, quia quietem non habes, vt enim dicit Prosper, qui pro multis occupatur, vt alij proficiant, ac deo vacent, profectus illorū eius fructus est, & qui solicitudines omniū portat, in ipsis proficientibus proficit, & gloria illorum gloria eius est.

Prosp. 1. 105. 3. ¶ Charitas (ait idem) omnium profectus, suos reputat: ac de alienis peccatis, tamquam de proprijs misericorditer luget.

Basil. psal. 33. ¶ Basilius, Sicut ossa robore suo carnis mollitiem sustentāt, sic in ecclesia sunt quidam, qui ob virtutem, ac fortitudinem suam debilium infirmitates ferre possunt. *Hierony. lib.* 2. *in Thre.* Hieronymus dicit, quòd ille est perfectus, qui in eremo, squallorē solitudinis, & in cænobio, infirmitates fratrum æquali magnanimitate sustentat.

Basil. ¶ Basilius suam in vita, & onere pastorali fortitudinem declarans, sic de se dicit, Hæc vita corpus meum conterit, & animam conturbat, quòd impares huic pōderi virtute reperiamur, corpore namque toto iam fere nullus sum: ad eam nanque debilitatē deduxit me cura: attamen auctore deo, durabimus: ac donec hos spūs reget artus, hanc Christo diligentiam debebimus, vt de his quæ ad dei ecclesiæ ædificationem facere cognoscimus, nihil relinquamus. *Basil.* Et idem in Exameron fatetur, se neque in aduersa

aduersa valitudine remisisse docendi, seu prædicandi studium. *Homi. 7.*

¶ Beatus Thomas sic dicit, Quandiu Eps potest esse vtilis proximorum saluti, retrocederet, si ad statum religionis transiret, vt solum suæ saluti insisteret, &c. Si tamen (inquit) ob senectutem, vel infirmitatem, vel alia impedimenta impeditur procurare subditorum salutem, potest auctoritate Papæ deserere curã pastoralem: quia solus Papa potest dispensare in voto perpetuo, quo quis se astrinxit ad curam subditorum, dum episcopatum suscipit. *S. Thom. 22.q.185 art.4. ad primum. in cor. ar.*

¶ Augustinus contra litteras Petiliani, sic dicit, Vnguentum spiritualium gratiarum descendit à capite Christo, & vngit barbam: per quam intelligũtur viri fortes in ecclesia, idest veri pastores: deinde ad reliquum populum. *Augusti. 2. Capi. 104.*

¶ De magnanimitate, ac fortitudine animi quã debet habere episcopus, cum vexatur importunitatibus pauperum ac viduarum, loquitur Chrysostomus. Paupertas (inquit) est malum insatiabile, querimonia semper, & ingratitudine plenum: ideo absit vt episcopus turbetur, quando viduæ pauperes intempestiue obtundunt, aut immerito expostulant. Illorum enim infelicitas, misericordiã potius, quàm contumeliam meretur, & extremæ crudelitatis est addere dolorem dolori. Absit vt is excandescat ita propter pauperũ efflagitatio- *Chrysost. li. 3. de Sacerd.*

nes, aut assiduum illorum occursum. Et de

Eccle. 4. hoc habes in eccle. vt idem citat. Quòd si non consolaris verbo, sed potius tua destomachatione anxietatem auges: quamuis dones aliquid, non sentit subsidium. Quòd si vultu ac verbo consolaris, domum conduplicas: ideò

Ecclesiastici. 18. dicitur, Melius verbum quàm datum. Ibidem etiam differit de ægrotis curandis, de hospitibus recipiendis, de virginibus Christi & curandis, & custodiendis. Episcopus pusilli & exigui animi, seq; nimium amans, ingruente aduersitate, statim cogitare incipit, quomodo impositum sibi onus excutiat, vt quiescat. Nō sic Athanasius, non sic Chrysostomus: immò insurgentibus cōtra ipsos principibus &c. tūc acrius pro ecclesia certabant: & seipsos pro ea murum opponebant: quia videbant hoc expedire ad gloriam Christi, & ouium salutem.


Chrysost. Hom. 13. *1. ad Tit.* ¶ Chrysostomus super illud, Nemo adolescentiam tuam contemnat, dicit, quòd episcopus in his, quę ad se pertinent, constanter ferat contemni, maledici, & lacerari: nam si in his velit se vlcisci, omnino taxabitur. In his autem quę pertinent ad salutem aliorum, omnino nō ferat contemptum, sed imperio & auctoritate sua vtatur: summa cura prouidēs, ne quid noxium immineat gregi: aliter enim facere, non mansuetudo, sed stultitia est. Quid pusillanimitas ait? Si hoc aut illud fecero, multis displicebo.

ſplicebo. Quid ergo vis? An ſperas quòd appoſtolica inſtituta, & euangelica conſilia, carni placitura ſint? Obtura ergo aures vocibus carnalium, vt Chriſtum audias.

¶ Duplex martyrium occurrit in paſtorali officio: alterum quidem mere pœnale, quod pręcipue verſatur, ſiue in laboribus externis, ſiue in internis amaritudinibus, anguſtijs, exacerbationibus, ariditatibus &c. Alterũ vero oritur ex ſcrupulis, & perplexitatibus: quæ circa agenda, vel non agenda occurrunt. Hoc autem non eſt mere pœnale: quoniam habet annexũ periculum culpæ, & hoc eſt longe terribilius, & intolerabilius. Verbi gratia, ſit ne puniendum, an ferendum tale crimen: an permittendum quòd ille non reſideat, quòd non habeat plura beneficia, & multa his ſimilia. In quibus caſibus ad anchoram orationis cõfugiendum eſt. Ora igitur, dicens, Domine tu omnia noſti, tu ſcis quòd nulla ratione volo diſplicere tibi, quin potius occidi magis quam te offendere paratus ſum: illumina ergo oculos meos, & doce me facere voluntatem tuam: quia deus meus es tu. Erit autem maximum in his anxietatibus, & ſcrupulis ſolatiũ, ſi animus bene ſibi cõſcius, animaduerterit has omnes anxietates non ex aliquo peccato proprio, aut inordinata aliqua affectione ad terrena, ſed ex ſola cura, & ſolicitudine curæ paſtoralis

oriri. In hoc enim casu, cum homo id præstat quod pręstare potest, non habet cur animus la ceretur, aut discrucietur.

PRVDENTIA, AC CIRCVNSPEctio pastoris, in uerbis & factis. Caput. II.



ISTINCT. 23. Cap. Qui episcopus ex cõcilio carthaginẽ. 4. cui interfuit Aug. sic legitur, Qui episcopus ordinãdus est, antea examinetur si sit prudẽs, si docilis, si moribus temperatus, si peruigil, si semper suis negotijs cauens. Nam propter stolidam, aut stultam simplicitatem repellitur aliquis ab episcopatu, vt habetur. 39. Distinct. Vbi dicitur, Petrus diaconus, quem a vobis electum asseritis, omnino (vt dicitur) simplex est: & nostis quoniam hoc tempore talis in regiminis arce debet cõstitui, qui non solum de salute animarum, sed etiam de extrinseca vtilitate, & cautela sciat esse solicitus: sit humilis & affabilis; & in sensibus scripturarum cautus, & acutus. Inter omnia vitia prudentiæ contraria, quod primo loco cauendum est, est facilitas credulitatis; vt expresse habes a diuo Bernardo, qui sic ad Eugenium ait, Est o Eugeni vnum vitium:

Dist. 39. Capit. Petrus.

Bernar. 2. de cõsi. Cap. 13.

tium: cuius si te sentis immunem, inter omnes quos noui ex his, qui cathedras ascenderunt sedebis (me iudice) solitarius: hoc est, facilitas credulitatis; cuius callidissimæ vulpeculæ, magnorum neminem comperi satis cauisse versutias: ex qua in ipsismet pro nihilo multæ nascuntur iræ. Inde innocentum frequens addictio: inde præiudicia in absentes &c. Ioannes in extrauagante, Diuinis, ita ait, Nos mala contra aliquem dicta, nolumus prius credere, quàm probare.

¶ Manum tuam (ait Bernar. cuidam episcopo) misisti ad fortia, fortitudine opus est: speculator factus es, prudentia opus est. Hæc est abbatissa virtutum: nulla earũ aliquid bene agit, nisi ea dirigente. Memento verborũ Iob, Causam quam ignorabam, diligentissime inuestigabam. Attende a falsis prophetis, id est consultoribus, quorum cõsilia, deo non sunt odorifera. Caute audienda sunt eorum hominum consilia, in quibus non constat vigere timorẽ dei, aut qui affectibus carnis obnoxij sunt. *cap. 29.*

¶ Præcipitur nobis quòd in conuersatione simus, simplices, suaues, dulces, sicut columbæ: prudentes tñsicut serpẽtes. i. seruãtes caput. i. charitatem: hoc est, nihil omnino illicitum facientes ob cuiusquam auctoritatem, respectum, preces, amorem, timorem, &c. vigilantissimis oculis perspiciendo, an in eo quod

petitur latet aliquid veneni: vt constanter quidem, & tamen suauiter negetur. Item oportet oculis linceis videre diaboli facundiam. Nihil est quod non aliquas apparentes rationes habeat, & quod non possit verbis honestari, præsertim hominum eloquentium. Cuiusmodi sunt ea, quibus multi probare contendunt magnificum apparatum, atq; splendorem decere domos episcoporum: quibus tamen nullo modo aduersus patrum, & conciliorum decreta, & exempla concedendum

Prou. 22. est, iuxta illud, Ne transgrediaris terminos

Eccli. 32. antiquos, quos posuerũt patres tui. Eccli. 32. Sine consilio nihil facias, & post factum non pœnitebis. Et ibidem etiam, Ante omnẽ actum, consilium præcedat te. Sed cuius? Hoc etiam

Cap. 37. dicitur ibidem, Anima (inquit) viri sancti annuntiat aliquãdo vera, plusquam septem speculatores, sedentes in excelso ad speculandum.

¶ Qui præcipitanter, & absq; præuio consilio res agunt, plerumq; pœnitet eos factorum,

Eccli. 32. Ideo scriptum est, Fili sine cõsilio nihil facias:

Prou. 4. & post factum non pœnitebis. &, Palpebræ tuæ præcedant gressus tuos. Prælatis cauenda sunt duo extrema, scilicet pertinacia, & inconstantia. Pertinacia ex superbia nascitur, qua homo meliorem se ceteris æstimans, sententiã suam aliorum sententijs anteponit. quibus di-

Rom. 12. cit Apostolus, Nolite esse prudentes apud vosmetipsos,

metipsos. Incōstātia aūt ex leuitate nascit: ideo dicitur, Cor stultorum dissimile erit; quia dum mutabilitate se varium exhibet, numquam idē quod fuerat manet. Quomodo Gregorius cedebat consilio multorum, colligere poteris ex epist. 33. scribens enim cuidam, qui a monachatu apostatauerat, sic ait, Si pro zeli mei ardore forte in hac causa suspectus sum, cunctā simul ecclesiam in consilio huius disceptationis adhibeo: & quidquid omnibus fieri salubriter placet, ego in nullo contradico: sed quod in commune decernitur, lætus impleo, & subscribo. Animaduerte quàm humiliter, & suauiter Gregorius respondet Constantiæ Augustæ; quæ petebat ab eo, quod ipse dare debite non poterat, reliquias scilicet corporis diui Pauli. Dum desiderarem (ait) illa mihi a vestra serenitate imperij, in quibus facillimā obēdientiam exhibens, vestram erga me amplius potuissem prouocare gratiam, maior me mæstitia tenuit, quod illa præcipitis, quæ facere nec possum, nec audeo. Et miranda quædam ibi, ad sui excusationem commemorat; nihilominus tamen promittit, ex catenis eius apostoli particulas quasdam lima subtractas, se ad eam missurum. Et in alia epist. cuidam scribit se grauiter contristatum, quòd is petiuisset ab eo quædam, in quibus voluntatem eius non poterat facere: quia ratio obsistebat.

Prou. 15.
Greg. li. 1. Epist. 33. Venantio cancellario italiæ. indic. 9.
Idem. Epist. 30. lib. 3. indic. 12. to. 2.

Itaq;

Itaque cum magna dulcedine ratione reddita, negabat quod petebatur; quando fas non erat cōcedere. Et contra Iohan episcopum constan. qui sibi nomē vniuersalis episcopi vsurpauerat, Prius (ait) modesta admonitione pulsand' est animus eius: qui si nequaquā a suæ elationis rigore voluerit inclinari, tūc quid fieri debeat cū omnipotētis dei solatio subtilius pertractabitur. Nō enim pacē veraciter tenemus, nisi cum superborum culpas cum charitate simul, & iustitia prosequimur: diligentes homines, & vitia persequentes. Vulnera nempe (ait) quæ resecanda sunt, prius leui manu palpanda sunt. Et ad Castorium (cui causam quandam examinandā commiserat) Vide (ait) ne negligenter agas, ne fidē ad deuotionē tuam quisq; corrumpat. Omnia age blande, & dulciter: vt actio tua districta sit, & lingua mitis. Non sis contentus duas, aut tres personas requirere: require grauiores quotquot inueneris.

Mauritio Aug. epi. 32. lib. 4. indic. 13. to. 2.

¶ Semper in corde geras illud Bernar. quod is protulit in fine vitæ, Semper minus meo sensui, quam alterius credidi: scandalum nemini facere volui, & si incidit, sedaui vt potui.

Gregori.

¶ Et Greg. inquit, Ego Iesum inuoco testem in animā meam, nulli hominum a summo vsque ad vltimū, occasionem scandali me dare velle. Et cōtra quendam episcopum senem, ita scribit, Quamuis scriptum sit, Seniorem ne increpaueris:

Ciriaco episc. constant. Epist. 28. lib. 6. indic. 15.

pauetis: hoc tamen intelligitur, quando culpa senis, non trahit ad interitum iuniores. nam senex exemplo peruertens iuuenes, districta increpatione feriendus est: nam scriptum est, laqueus iuuenum omnes vos, &c.

Greg. li. 7 Epist. 1. in prin. indic. 2. episc. Caralitano. 1. Tim. 5. Esa. 42.

¶ Idem etiam dicit, Non fiat abbas, qui sibi sapiens esse videtur, nec est in suo sensu humilis.

¶ Idem, Sacerdotali proculdubio cõuenit grauitati, vt emergentes causas, & querelas ecclesiæ suæ, sine mora definiat: aut (si fieri potest) pacifica ordinatione, aut certe, iudicio interueniente. Idem Mentibus duris, simul omnia vitia abscindere impossibile est: quia is qui gradum summum ascendere nititur, gradibus vel passibus, nõ saltibus eleuatur. Vnde Augustino episcopo anglorum pręcipit ibi, ne permittat Anglis recenter ad fidem conuersis, immolare animalia idolis vt solebãt: sed permittat tamen vt occidant ea in festis martyrũ, vt ex eis celebrent conuiuia prope ecclesiam in tabernaculis ex ramis contextis, &c.

Epist. 91. epist. 58. lib. 8. indic. 3. Bonif. epi. Epist. 81 Epist. 71. Lib. 9.

¶ Et in alia epis. increpat valde quendam episcopum, quia nõ exhibebat studium dilectionis, monasterijs, & oppressis pauperibus, nec opem ferebat supplicantibus in iustis petitionibus, nec volebat audire cõsilia prudentum, nec seruabat grauitatẽ episcopo dignã vtpote qui quotidie pergeret ad mare vno, aut duob⁹ clericis comitatus: quo fiebat vt apud suos

Idem. Epist. 29. Lib. 11.

esset in fabula, & apud extraneos sic vilis ac despicabilis, vt nihil habere auctoritatis aut grauitatis iudicaretur. Item ad alium episcopum, qui commotus ira excommunicauerat quendam abbatem, Frequenter (ait) admonuisse vos recolo, vt in proferenda sentētia, esse præcipites nullatenus deberetis. Præsertim cum ille esset in ægritudine cōstitutus: quem enim diuina disciplina conterit, ei humana flagella addenda non sunt. Igitur quantum exasperasti illum, tanta nunc dulcedine consolare. Et in eodem casu, Causæ quæ per sententias (inquit) sunt decidendæ, necesse est vt prius studiosa, & frequentissima consideratione mensurentur: nihil potestati, sed totum æquitati tribuatur.

Idem. Epist 29. lib. 12. *Idem. Epist. 30.*

Bernar. ¶ Bernar. Plures sunt, qui sine querela inter fratres conuersantur: super fratres vero, non solum inutiliter, sed etiam insipienter, & nequiter. Pauci namq; sunt qui vtiliter, pauciores, qui humiliter præsint. Qui autem ad hoc sunt idonei, illi nimirum sunt, qui matrem virtutum discretionem, perfecte adepti sunt, qui etiam vinum charitatis vsq; ad contemptū propriæ gloriæ, & vsq; ad suimet obliuionem, non quærendo, quæ sua sunt (Spiritussancti magisterio) ebiberunt. Nam virtus discretionis, absq; charitatis feruore iacet; & feruor vehemens absq; discretionis temperamento, præcipitat. Nam feruor debet erigere discretionem.

nem; & discretio feruorem regere debet; ac demum subiectis, nec desit in cura, nec in superbia præsit. Et ad Eug. dicit, Mater fortitudinis est prudentia; neq; est fortitudo sed temeritas quilibet ausus, quem non parturiuit prudentia. Idem ad eundem, Non solum cauere teneris quod malũ est, sed quidquid male fuerit coloratum. Et ibi, In omni agendo tria consideranda, an liceat, an deceat, an expediat. Quando litigantes veniunt ad te, de suis negotijs tractaturi, duo tibi facienda sunt. Primum da operam, vt inter illos de pace, & negotio conueniat. Deinde exhortare, ne pro terrena possessiuncula, regnum cęlorum amittant &c. Et sic etiam inter negotia temporalia, facultas tibi dabitur, diuina tractandi: atq; ita in hoc etiam opere pastoris officium exequeris. Ora cũ sapiente ante cuiusq; grauioris negotij decisionem dicẽs, Da mihi domine sedium tuarum assistricem sapientiam, & noli me reprobare a pueris tuis: quoniam seruus tuus sum ego, & filius ancillæ tuæ: homo infirmus, & exigui temporis, & minor ad intellectum iudicij & legum. Sequitur, Mitte illam de cælis sanctis tuis, vt mecum sit, & mecum laboret: vt sciam quid acceptum sit apud te. Scit enim illa omnia, & intelligit. Et deducet me in operibus tuis sobrie. Quis enim hominum potest scire consilium dei? aut quis potest cogitare quid

lib. de consider.

Sap. 9.

Sap. 9.

Sap. 9. quid velit deus? Cogitationes mortalium timidæ, & incertæ prouidentiæ nostræ. Sensum ergo tuum, quis sciat: nisi tu dederis sapientiam, & miseris Spiritumsanctum tuum de altissimis? *Eccle. 8.* Cum fatuis consilium non habeas: non enim poterunt diligere, nisi quæ eis placẽt. Primum ac præcipuum remedium curando peccatori est, sic dulciter eum tractare, sic omnibus eum sinceri amoris verbis, & obsequijs prosequi, vt ille veram hanc intelligat dilectionem. Hoc enim iacto fundamento, quidquid dixeris, libenter accipiet.

11. q. 3. c. summopere. ¶ Gregorius, Summopere præcauendum est, vt rectores ecclesiæ, & qui publica iudicia exercent, nullatenus leuitate, aut fauore ducti, sint præcipites: sed causis prius diligenter ventilatis, cum res quæ ignorabatur plenè ad notitiã venerit, tunc diuina & humana* lege resoluatur. *alias lex.* Et secundum quod ibi constitutum est, remota personarum acceptione, definitiua sententia proferatur. *Dist. 45. c. omnis.* Idem, Omnis qui iuste iudicat, stateram in manu gestat, & in vtroq; pen so iustitiam, & misericordiam portat: sed per iustitiam, reddit peccati sententiam; per misericordiam, peccati temperat pœnam: vt iusto libramine quædam per æquitatẽ corrigat, quædam per miserationem indulgeat. *Isidorus lib. 3. de summo bono d habet.* Qui enim dei iudicium ante oculos suos proponit, semper timet, & tremit in omni negotio, formidans

dans ne de iustitiæ tramite deuians, cadat. Item ex eodē, alloquēs episcopos, Licet plerūq; accidant episcopis, quę sunt reprehendēda, plus tñ apud eos corrigendos agat beneuolētia, quàm seueritas; plus cohortatio, quàm commotio; plus charitas, quàm potestas: cū nemo nostrū sine reprehēsione, aut sine peccato viuat. Nā si Dominus Petrum statim post trinam negationē iudicasset, nō tantū fructū ex eo percepisset. Rectores igitur ecclesiæ delinquentes, magis sunt excitandi ac corrigendi, quàm iudicandi. At dicit beatus Antoninus hęc esse intelligēda in peccatis occultis, vel in peccatis ex passione, & fragilitate cōmissis: nō autē quādo procedunt ex consueta malitia, interueniente pertinacia: vt patet ex eiusdē sententia supra citatā, quæ incipit, Quamuis scriptū sit seniorem ne increpaueris, &c. Et alibi, Ea (inquit) quæ in nobis cōmittuntur, facile possumus dimittere: ea vero quę in deū cōmissa sunt, cū magna discretione, nec sine pœnitētia possumus relaxare. Idem habet in alio loco, Sicut nostra defendimus, ita iuribus alienis ambitu stimulante nequaquam derogamus: nec etiā gratia fauente, alicui plusquā meretur impartior. Quomodo auctoritas regiminis, simul seruanda sit cum ministerio misericordię, colligit Gregorius ex illo Iob, Cumq; sederem quasi rex circunstante exercitu, eram tamen mœrentium conso-

Gregori. uniuersis. episc. per gallia & c. Dist. 45

lib. 7. ind. 2. epist. 1. in prin. episc. caralitano. Et causa 2. q. 7. paulus.

1. Tim. 5.

23. q. 4. Si is qui.

Grego. in homil.

25. q. 2.

Iob. c. 29.

Epi. 247. *in med.* *to.* 1.

consolator. Bernardus admonet Eugenium papam, vt caueat sibi ne fallatur: quia quanto potestas maior est, tanto turpius, & periculosius erratur. Ac nominatim designans quendam, ait, Non vos fallat miseranda facies illius, vilis habitus, vultus supplex, demissa supercilia, verborum humilitas, neq; ipsę quidem lachrymulę currentes (vt aiunt) ad nutũ eius, doctę mentiri. Habes pulchrã epist. 64.

Aug. epi. 64.

August. ad Aurelium episcopum; in qua vbi reprehendit deprauatam aphricæ consuetudinem, scilicet quòd sæculares celebrabant magna conuiuia in cœmiterijs ad honorem martyrũ, docet ibi quomodo se debet habere episcopus, quãdo huiusmodi vitia emẽdare vult, qui multos habent auctores. Quantum existimo (inquit) non aspere, non duriter, non modo imperioso ista tolluntur: sed magis docendo, quàm iubendo: magis monendo, quàm minando. Sic enim agendum est, cum multitudine peccantium: seueritas autem in peccata paucorũ exercenda est. Et si quid minamur, cum dolore fiat, comminando vindictam ex scripturis: ne nos ipsi in nostra potestate, sed deus in nostro sermone timeatur. Hoc modo prius mouebuntur spirituales viri, vel spiritualibus proximi: quorum auctoritate, & lenissimis quidem, sed instantissimis admonitionibus cetera multitudo frangatur, hæc ille. Ad

Titum

Titũ inter cõditiones episcopi, hæc numeratᶜ, Nõ præfractũ (vbi nós habem⁹ nõ superbũ).i. nõ durũ, & sui sensus plus satis tenacẽ. Item ad Phil. vbi dicit, Modestia vr̃a sit nota oĩbus hominibus, græce habetᶜ æquitas. & significat hic quãdã virtutẽ mirabilẽ; qua homo redditᶜ habilis ad chr̃ianæ cũ oĩb⁹ cõuersandũ. significatᶜ.n. amabilitas, & quędã prõptitudo, qua homo paratus est oĩbus oĩum moribus se accõmodare, neminẽ fastidire, oĩbus benefacere, libẽter cedere, & quæcũq; põt sine offensione dei ferre, & permittere, etiã cũ iactura sua, siue rerũ suarũ. Hoc.n.est, nõ quærere, quæ sua sunt, sed quæ aliorũ: nulli onerósus, aut odiosus esse, sed ęqu⁹ & cõmod⁹. hoc est qđ ad romanos dicitᶜ. Si fieri põt, qđ ex vobis est, cũ oĩbus hoĩbus pacẽ habẽtes. Et 1. ad Corinth. Sine offensione estote iudæis &c. & 2. ad eosdẽ, Cõmendãtes nosmetipsos ad oẽm conscientiã hoĩum.i. ea faciamus quibús oẽs hoĩes (si cõscientiã velint testari) nõ possint nos nõ cõmendare, & probare, nec aliqd habeãt in quo nos merito accusare possint. hoc est oĩbus oĩa fieri. hoc est modestiã nostram, notã esse oĩbus hoĩbus: hæc est pręcipua virtus pręlatorũ. Cõtra hãc regulã pacis, & cõcordiæ vehemẽter pugnãt illi, qui nihil suo iuri, nihil suo sensui, nihil suę potestati, nihil suæ causę, volũt detractũ esse: sed oẽs cogere vt ipsi deserta & cõtẽpta causa & iure suo, tãtũ illorũ quęrãt ius, sequãtur sensum, cedãt potestati, faueant

Cap. 1.
Phil. 4.
Rom. 12.
1. cor. 10.
2. Cor. 4.

ueãt causæ: atq; ita oĩum hoĩum mores, sibi volũt accõmodari, etiã cũ illorũ detrimẽto: Ipsi autẽ morib⁹ aliorũ, nolũt se attẽperare, rigide suũ ius exequẽtes, & aliorũ cõsilijs aduersãtes: nullã in rebus suis iacturã pro pace laturi. Hinc nascũtur discordiæ, turbationes, cõtentiones &c. Et qui hoc faciũt, iactãt se interim, ꝙ pro iustitia, ac suo iure tuẽdo hoc faciũt: cũ ex hoc ipso valde accusandi sint, ꝙ suũ ius pluris fecerint, quã pacẽ & cõcordiã, præsertim publicã. Igitur multa dissimulare debes, multis cõniuere, oĩa sic moderari pro loco & tẽpore, vt charitas &* pax illibata seruetur. Hinc illud Poetæ comici. Ius summum sæpe summa* iniustitia est. Sapiens etiam, Noli esse nimium iustus: nec plus sapias quam oportet. Si deus ius suum rigide exequeretᷣ, quis hoĩum viueret? Et Dauid sępe omisit facere, quę optimo iure potuisset in Saulẽ, Ioab &c. Sũmis ergo precibus, & lachrymis pete a dño hãc æquitatẽ, humanitatẽ, facilitatẽ: quã nemo habet, nisi charitatẽ habeat cũ prudẽtia cõiunctã. Federicus tertius solebat dicere, Qui nescit dissimulare, nescit imparę. Ferẽdę.n. sunt multę infirmitates, & difficiles mores multorũ. Et ideo prælati dicunᷣ dij, quia quædã diuina patiẽtia, & magnanimitas, ac prudẽtia in ipsis fulgere debet. Quãdo per litteras corripimur de aliqua re, sed immerito, oportet oĩno respõdere: ne forte si nõ respõdeamus, culpam (quę nõ est) agnoscere videamur. Et in alia epis.

aliàs malitia.

Ter. Heautont. act.4. scę. 5.

Bernar. Epist.68. ad monac. flauiacen.

Cuncti penè sapiẽtes solẽt in rebus dubijs, plus alieno quã ꝓprio credere iudicio. Et qui aliorũ facile ambigua queq; dilucidãt, in suis cõsueuerũt scrupulosius hesitare. Itẽ dicit idẽ, ꝙ Abbas zelo dei feruẽs, si tñ presit infirmis, sic debet tẽperare rigorẽ sui ꝓpositi, vt salutẽ infirmorum nõ negligat. Inuitãdi. n. sunt ad arctiorẽ vitam, nõ cogẽdi. Illud beneficiũ libẽter accipio, quod ꝓdest danti, quia non requiro datũ sed fructũ: alioquin quæro quæ mea sunt. Greg. & habetur. 86. Si qd de quocũq; clerico ad aures tuas peruenit, qđ te iuste possit offendere, facile nõ credas, nec te ad vindictã res accẽdat incognita: sed p̃sentibus ecclesię tuę senioribus, diligẽter est veritas pscrutãda: vt si qualitas rei popo scerit, canonica districtio culpã feriat delinquẽtis. Apost. docet in oĩ patientia, & doctrina arguẽdũ: quoniã leniter castigatus exhibet reuerentiã castigãti: asperitate aũt nimiæ increpationis offensus, nec increpationẽ recipit, nec salutẽ. Et ibi dicit, ꝙ sacerdotes debẽt prudẽtissime discernere, quos debent tẽperata seueritate corripere, & quos debẽt sacerdotali magnanimitate portare. Inter epist. August. extat epistola Macedonij iudicis sæcularis, apud quem sępe August. intercedebat ꝓ rogãtibus; cui ille respõdet, nõ esse molestũ sibi: immo & sæpe gratũ, qñ psonę tales, qualis erat August. ꝓ reis intercedebãt. Pleraq;. n. (inquit) quæ spõte facere videri nolo (ne remissio seueritatis alios ar-

Epist. 82. ad abbat. carnoten. Epist. 8. ad Brunõ. colonien. Bernar. Epist. 10. ad eundẽ. Greg. Io. episc. panormitano. lib. ij. epist. 48. Indic. 6. & causa. 15. q. 7. si quid. Prosper. lib. 2. de uita contemplatiua. c. 5. ĩ prin. 2. Tim. 4. Macedõi ad Aug. epist. 53.

met in crimina) opto bonis intercessoribus relaxare: vt qđ libēs cōcedo, salua seueritate iudicij, alterius merito videat̃ indultū. Absit autē vt episcopus regulā illā seruet mūdanæ prudētiæ, quę imperatoris cuiusdā noīe prędicat̃, Nō decet quēquā tristē abscedere a cōspectu principis: nimirū verbis vtēdo artificiose dictis, ne rē expresse negare videat̃ &c. nō sic docuit Im-
Luc. 20. perator noster cū dixit, Nescitis qđ petatis &c. Arbores quę frequētius bonos fructus ꝓferūt, nō sunt euellendæ, quamuis aliqñ accidos, aut parum vtiles proferant. Sic homines qui aliàs strenui sunt, non desperandi aut profligandi, etiam si aliqua in eis desiderentur.

De Mensa Episcopi. *Caput.* XII.

HEV multi episcoporū, hac nostra calamitosa ætate, cōmisti sunt inter gen-
psal. 105. tes, & didicerūt opera eorū, & seruierūt sculptilibus eorū; epulantes quotidie splēdide in vasis pretiosissimis auro, argentoq; fulgentibus: quibus (vt ait Bern.) ex bonis ecclesiæ sola alimēta debētur, nō gulæ irritamēta. Et
Act. 6. cū apostoli dicāt, Non est æquū nos relinquerę verbū dei & ministrare mensis etiā pauperū & viduarū, ipsi magno studio mensis suis intendūt, neglecta interim cura prædicādi verbi dei. Qua vero frōte, hi publice taxare poterūt splēdidas aliorū mensas? Prosper lib. 2. de vita cō-
Prosper. Lib. 2. *de* temp. cap. 17. de abstinētia ita dicit; Quidquid

sinę

sine quo pōt viui pcipitur, nō sustētādę naturę, sed luxuriæ carnis impēdit. Et cap. 22. dicit, Deliciosi cibi nō officiūt, si absq; desiderio pcipiūtur: viles aūt si appetēter pcipiant, impediūt abstinētiæ ꝓfectū: nā Heliæ nō nocuit perceptio carniū; & Dauid aquæ cōcupiscētiā in se castigauit. Igit veri abstinētes nō sunt deliciosi, neq; auidi. A vino vero, deficiēte stomachi infirmitate, abstinēdū: ne qđ infirmū corpus sustentat, sanū incēdat. Ibidē. 24. dicit, ꝙ qñ ꝓpter aduenīētes fratres intermittimus ieiuniū, nō soluimus ipsum, sed implemus charitatis officiū: alioqui si ꝓpter abstinentiā cōtristo spirituales fratres (quos noui mea remissione delectari) iam abstinētia mea nō est virtus sed vitiū, quoniā me inflat, & fratrem meū cui charitas iubet seruiri, cōtristat. Hierony. Ignominia & cōfusio est Iesum crucifixū, pauperē, & esurientē fartis prædicare corporibus; & ieiunorū doctrinā rubentes buccas, tumētiaq; ora proferre. Si in apostolorū loco sumus, nō solū sermonē eorum imitemur, sed etiā conuersationē & abstinētiā. Alloquit episcopos, & sacerdotes. Idē asserit, ꝙ multi largitate epulatū in varios morbos incurrerūt, videlicet podagrę, quę fit in pedibus, sicut cyragræ, quæ fit in manibus: qui (ait) redacti ad simplicē mēsam, & pauperes cibos, cō ualuerūt. Tres pestes immo, & tres serpētes, irrepunt in episcopi dignitatē. s. honor, pecunia, & mensa. Et miseri hoīes, ob eas ipsas maxime

uita cōtēplatiua.

Hiero. ad secūdum. & Dist. 35. c. ecclesiæ.

Hiero. ad uersus Iouinianū. lib. 2. de cōsec. dist. 5. c. Nec tales acci.

appetunt eã, ꝓpter quas, vel solas maxime esse fugienda. Sęcularis.n.lętitia, q̃d aliud quęso est, quàm impunita nequitia? Paulus iã penè angelus effectus, castigat corp⁹ suũ, timẽs ne reprobus fieret, & tu inter lautas mensas, & delicias securus viues? Cũ vbiq; & semp colloquia episcopi debeãt sapere disciplinam, specialiter tñ in mẽsa, hoc obseruare oportet post lectionem. Et cũ ipse sit qui mensæ præest, in hoc vel maxime debet auctoritatẽ suã retinere, vt prudẽter & ciuiliter abigat sermones viles, neq; sit degeneris ac demissi animi in hac parte, respiciẽdo psonas &c. Meminerit vero carminũ, quę Aug. scripta habebat in mẽsa. Omnibus chrianis ait dñs, Videte ne grauent corda vestra in crapula, aut ebrietate, & curis huius sæculi: quanto ergo magis hoc ad ipsos chriani populi duces, ac magistros ptinebit? Audi q̃d Greg. dicat, Sicut Apostolus crucẽ, quotidie portabat in corde p cõpassionẽ ꝓximorũ (vñ dicebat, Quis infirmatur, & ego nõ infirmor?) ita crucẽ abstinẽtiæ quotidie portabat in corpore: ideoq; dicebat, Castigo corpus meũ & in seruitutem redigo &c. Prædicare.n. & nõ macerare carnẽ, existimabat esse aerẽ verberare, ideo p̃miserat, Non quasi aerẽ verberans &c. Greg. Conuiuia tunc veraciter ex charitate fiunt, cũ in eis nulla absentiũ vita mordet, non inanes in eis sæculariũ negotiorũ fabulæ, sed verba lectionis sacræ audiunt: & cũ nõ plus quã necesse est, seruit corpori.

carmina. August. Quisquis amat dictis, absentum rodere vitam: Hãc mensam indignam nouerit esse sibi.

Luc. 21.
2.cor. 11.
1.cor. 9.
Greg. ad Natalem episc. quẽ taxaue-

pori, ſed ſola eius infirmitas reficit, vt ad vſum exercēdæ virtutis habeat. Hæc ſi vos in veſtris cōuiuijs agitis, abſtinētiū fateor magiſtri eſtis. Et qa ille dixerat gaudere ſe, quia cū redēptore nomen voracis audierat, ad hoc rūdit Greg. Si de vobis vere dr, qd de dño falſe dicebat, abſoluere vos nō pōt par nomē, quorū diſpar eſt cauſa. Et qa etiam ille ſe excuſabat, ꝙ Abraham ipſe in cōuiuio excepiſſet angelos, rūdit: Neq; nos vos de cōuiuio reprehēdimus, ſi cognoue rimus vos angelos in hoſpitiū recepiſſe. Infelix illa hora, infelix illa menſa, infauſta illa buccella, ò epiſcope, qñ quaſi ſedens ad lætā menſam incipias gaudere, & obliuiſci dolorū tuorū, & grauiſſimorū periculorū, atq; onerū tuos humeros opprimentiū. Quādo eras in felici ſtatu priuatæ vitæ, nō experiebaris, qd erat illud, Antequā comedā ſuſpiro: modo oportet te ſuſpirare iugiter, & antequā comedas, & dū comedis, & poſtquā comederis: in his gemitib⁹, ac tremoribus ſalus tua ſita eſt. Quid ſi ita increuit cæcitas & incuria, vt nō modo gaudeas de lauta menſa, ſed etiā de vana effuſione verborū? Et quid, ſi eo procederet Sathanæ demētatio, vt paulatim ſubintrante blanda, ſed virulenta aura humanæ gloriæ, ſic ea ſerperet atq; corrūperet interiora tua, vt iā inciperes gaudere de ſtatu, neq; ad depoſitionē oneris, votis ſaltē animi aſpirares? O cœcitatē. nonne ſufficiūt pericula æternæ damnationis quæ infelici imminent

rat, ꝙ ua caret conuiuijs, & ille ſe excuſauerat ꝙ aīo impēdendæ hoſpitib⁹ charitatis id faceret. epiſt. 53. lib. 2.

Iob. 3.

minent prælato ob multiplices curas, & onera pastoralis officij, sed adhuc vult sponte addere noua pericula fastus, mensarũ, atq; delitiarũ? Est adhuc & alia maior abusio: Certũ. n. est ꝙ trãslatio a statu monachali ad episcopalẽ est ab inferiori ad superiorẽ: hoc est ad sanctiorẽ, religiosiorẽ, austeriorem: vbi ipsis monasticæ vitæ virtutibus, superadduntᵉ aliæ, quæ magis ad episcopos spectãt, videlicet largitas, misericordia, zelus animarũ, & procuratio salutis earũ &c. Quæ cũ ita sint, multi tñ sunt, qui transitũ hũc esse intelligãt ad vitã laxiorẽ, ad fastum, ad põpam, ad mensas, ad delitias. Eò ne cæcitatis ꝑuenit mundus, vt epulari quotidie splendide, munus esse putet episcopi, & hoc ipsum ad dignitatẽ ecclesiæ existimet ꝑtinere? Siccine duces Christianæ militiæ, & antesignani, qui in prima acie stare, & cõgredi debẽt, & virtutum suarũ exẽplis alios ad simile virtutũ studium incitare, carnis indulgentiæ, delitijs, opibus, & sæculi pompis ita vacabũt? Audenter dixerim, ecclesiasticos præsules, nihil præter victum, & vestitum habere, oportere, ne ad ista trahantur desiderio.

Chrysost. Hom. 15. ad Tim.

F I N I S.

EXPLICATIO COPIOSIOR CONCIONIS


habitæ in consecratione Reuerendissimi D. Antonij Pinarij.

DE OFFICIO ET MORIBVS EPIscoporum, aliorumq; Prælatorum.

Per Reuer. P. F. Ludouicum Granatensem ordinis Beati Dominici professorem.

Cum facultate, & approbatione sancti Officij.





ROMAE.

Apud Hæredes Iulij Accolti.


M. D. LXXII.

LYSIPPONAE Anno Domini M. D. LXV. consecratus est in Episcopum Mirandensem Reuerendissimus D. Antonius Pinarius, vir vita, doctrina, & facultate dicendi clarissimus. In cuius consecratione coram multis Patribus concionem habuit F. Ludouicus Granatensis de officio, & moribus Episcoporum: Verum quia propter angustiam temporis, quod vni concioni destinari solet, breuiter hæc omnia decursa sunt, hic latius illa ipsa persequitur: eadem tamen vtrobiq; orationis serie retenta: sed multis additis, quę illic propter inopiam temporis referri non potuerunt: quia non hic temporis, sed argumenti ratio habita est: ne in re tanti momenti ea, quæ maxime necessaria essent, omitterentur. Ceterum quod ad rationem argumenti attinet, tractantur in hac concione illa verba Domini, Iohannis vltimo, Simon Iohannis diligis me plus his? Circa quæ in prima Concionis parte, celebris illa quæstio disputatur, an ceteris dignior esse debeat is, qui in ecclesiæ pastorem eligitur. In secunda vero, quæ nam illa virtutum officia sint, quæ dignum hoc nomine pastorem efficiant. In tertia autem, cum multa sint, quæ ad hanc dignitatem requirantur, merito quæritur, cur Dominus in suprapositis verbis, charitatem vnam, ceteris omissis requirit. Ad quod plane respondetur, non ideo charitatem solam exigi, quia sola sufficiat (cum & scientia, & regendi prudentia, & multa ad hoc alia necessaria sint) sed quia vna charitas plurima quidem, ad hoc munus adiumenta præstat: omnia vero alia splendore suo illustriora, atque perfectiora reddat.

REVERENDISSIMO D.D. Iohanni Riberio Episcopo Pacensi,

F. LVDOVICVS GRANATENSIS salutem in eo, qui est vera salus.





VM paucis ante hac diebus aureus hic libellus, Reuerendissime prçsul, typis in hac vrbe Vlysipon. excuderetur, contigit vt eodem tempore, obseruatissimus D. Antonius Pinarius, in episcopum mirandensem consecraretur. Cumq; is mihi pro maxima mea erga illum pietate commisisset, vt eo ipso consecrationis die concionem haberem: qua de moribus & institutione vitæ pastoralis agerem, visum mihi fuit, hanc ipsam concionem pro appendice, ad calcem huius operis adiungere: quoniam non modo idem vtrobique argumenti genus est, sed eadem etiam tractandi ratio. Quemadmodum enim Auctor, sententijs sanctorum patrum, vbique sua corroborat (quæ philosophandi ratio tutissima, & certissima est) ita ego eorundem vestigijs insistens, eadem vbique

teſtimonia ſimul cum ſanctarum ſcripturarũ teſtimonijs afferre curaui; vt de his puriſſimis fontibus haurirem, quæ de hac re mihi pro illius temporis, & argumẽti ratione dicenda eſſent. Ea enim temporum noſtrorum calamitoſiſſima conditio eſt, eoq; defluxit vita paſtorum, vt niſi oculos ad præterita tempora conuertamus, & ſanctiſſimorum antiſtitum dicta factaq; ante oculos, velut abſolutiſſimũ quoddam paſtoralis vitę exemplar proponamus, vix intelligi poſſit huius tantę profeſſionis amplitudo; ne dum operibus queat exhiberi. Quãobrem, quemadmodum qui puritatem, & elegantiam latini ſermonis exprimere cupiunt, ad elegantiſſimum illud Ciceronis ſęculũ oculos conijciunt, eamq; loquendi rationem, quæ illo potiſſimum tempore vſurpata eſt, imitari contendunt; ita plane qui hoc noſtro corruptiſſimo ſæculo (in quo tantopere populus Chriſtianus a maiorum ſuorum candore degenerauit) paſtoralis vitæ ſanctitatem, puritatemq; voluerit agnoſcere, & agnitam imitari, neceſſe eſt, vt auerſis ab ætatis noſtrę moribus, antiqua naſcentis eccleſię tempora, veterumq; patrum vitam, & ſanctimoniam ſibi proponat imitandam. Quod & auctor huius operis ſequutus eſſe videtur, & ego quãtum potui ijſdem ingredi veſtigijs conatus ſum. ¶ Et quamuis temeritatis, & arrogantiæ notam ſubijſſe

videar,

videar, qui nugas meas excellentissimo operi adiungere tentauerim, tamen cum tam familiaris necessitudo charitatis, pectus meum cũ auctore copulauerit, non debet mirum videri, si illius etiam scriptis mea iungantur, quorũ, & mẽs, & animus in Christo vnus est. De quo viro multa, & ea quidem memoratu digna habebam, quæ Amplitudini tuæ referre possem, nisi & pudorem religiosissimi patris offendere timerem, & ea etiam illustris simul, & eruditissimus D. Diegus payua breuiter, in hui⁹ operis præfatione commemorasset. Vnum tamen illud in tuam reuerendissime pater, & coepiscoporum tuorum gratiam, silentio præterire non possum; quòd ego ipse vna cum fratribus celeberrimi cœnobij S. Dominici olysipoñ. testis aderam, cum religiosa illa vox (de qua in præfatione fit mentio) ab huius obseruatissimi præsulis ore prodijt, se daturum operam, vt ita episcopali dignitate fungeretur, vt monasticæ vitæ propositum, & parsimoniam (quoad eius fieri posset) nõ desereret. Ego inquam aderam, immo & ego ipse fui, qui illum modis omnibus onus hoc refugientem, & summa contentione detractantem, sub interminatione anathematis compuli, vt illud adiret. Qua dignitate suscepta, quamuis initio maximis animi angoribus vexatus fuerit, & nullum non mouerit lapidem, quo suscepto oneri cederet, dũ

grauiora pericula videt,quàm ante preuiderat: omnibus tamen fruſtra tentatis, tandem diuina aſpirante gratia,manum miſit ad fortia, totumq; ſe ſarcinæ ſuppoſuit paſtorali. In quo opere, adeo conſtanter ſobrietatem illam, & modeſtiam,quam pollicitus eſt pręſtitit, vt nullis neq; communium amicorum perſuaſionibus, neq; humanæ prudentiæ rationibus ab inſtituto deflecti potuerit. Quo factum eſt, vt cùm tenues admodum expenſæ ad alendam eius domum,atq; familiam ſufficiant,quidquid ex amplis redditibus illis celeberrimæ eccleſiæ ſupereſt,non ſuum,non famulorum,non conſanguineorum,ſed pauperum ſit, ac viduarũ, & eccleſiæ miniſtrorum. Hinc enim inopum greges aluntur, nudi veſtiuntur, ægroti paſſim per domos curantur,virgines deſtitutę matrimonio copulantur, & non parui greges ſtudentium,vndiq; ex tota diœceſi ad hoc delecti aluntur, & inſtituuntur: qui poſtea ſacris initiati, in eccleſiarum miniſteria cooptentur. Quæ omnia in hoc regno notiora ſunt, quàm vt referre opus ſit, vel quàm vt eis referendis aſſentationis notam ſubire verear. A me tamẽ eo conſilio referuntur, vt vel hoc vno exemplo clariſſimi Hiſpaniæ noſtræ præſules intelligant, quantam eccleſiæ Dei vtilitatem parſimonia hæc, & modeſtia prælatorum allatura ſit: quæ tantopere in communem omnium

vtilitatem cedit: dum quod sibi subtrahit episcopus, cum omnibus munifica liberalitate partitur? simul vt multi religiosissimi præsules, quibus Hispania referta est, & quibus pietas & ecclesia Dei chara est, non vereantur hanc nouam viuendi rationem ingredi, immo antiquam in lucem reuocare, & velut à mortuis excitare. Habent enim quem sequantur; neque de euentu trepidare eos decet: cum euentus ipse facile declarauerit, nihil vtilius ad publicam salutem excogitari potuisse. Possem & alios in hoc florentissimo regno, similis propositi Patres commemorare: sed sciens volensque prætereo, ne aliorum laus aliorum gloriæ detraxisse aliquid videatur. Verum de his pro epistolæ, & operis magnitudine plus satis: si tamen illud addidero, mihi dum scribo Horatianum illud contigisse, Amphora cœpit institui; cur vrceus exit? Concionem enim scribere aggressus, penè librum confeci: quem ideo capitibus suis distinxi, ne longa orationis series, & sine vlla distinctione fluens oratio, tædio lectorem afficeret. Accipe ergo præsul reuerendiss. munusculum hoc, obseruantiæ, & pietatis erga te meæ certissimum pignus. Et quando tibi per assiduas curas licuerit, lege etiam aureum hunc præsulis obseruandiss. libellum: quem ego non librum, sed lucernam quandam calamitosis-

ſimi huius ſæculi, tenebras illuſtrantem appel lo: Habent enim hic ij, qui in lucem mundo dati ſunt, quo difficilem admodum, atque arduam prælatorum viam, apertiſſime & videre, & ingredi poſſint, habent quid ſequi debeant, quid vitare, quas curas & cogitationes animo voluere, quid, ſi ab officio & nomine ſuo degenerauerit, timere: quid vero, ſi recte munus ſuũ obierint a principe paſtorum, Chriſto Domino ſperare debeant.

Vale præſulum decus.



CONCIO F. LVDOVICI GRANATENSIS,

De officio & moribus Episcoporum, habita in consecratione Reuerendiss. D. Antonij Pinarij Episcopi Mirandensis.

¶ *Thema Simon Iohannis diligis me plus his? Pasce oues meas. Ioan. ult.*



Vm diligenter animaduerto, patres amplissimi, nobilis & religiosa concio, quibus de rebus, & apud quos hodie mihi dicendum sit, vereor ne illam reprehensionem incurram, quam Phormionem praeclarissimum philosophum subijsse Plutarchus refert. Cum enim Hannibal, qui toties cum populo romano victor bellum gessit, cõmutata subito fortuna, Athenas pro fugus ad Antiochum peruenisset, ibiq; in scholas visendi gratia a ciuibus perductus, Phormionem quendam senem, & philosophorum eius aetatis facile principem de re militari (vt experientissimo duci gratificaretur) legentem audiuisset, finita lectione mirantibus ceteris in philosopho sene tantam peregri-

peregrinę disciplinæ facultatē, & ab Hannibale qd ei videret sciscitātibus, respondisse fertur, se multos quidem delyros senes vidisse, neminem tamen Phormione dementiorem. Et merito sane, vt Cicero auctor est. Quid enim dementius, quàm vt philosophus in otio, & vmbra vitam degens, qui numquam hostem, numquam castra vidisset, coram Hannibale, qui cum populo Romano orbis victore, tot annos de imperio decertasset, de disciplina militari (quę vsu & exercitatione magis, quàm solerti meditatione comparatur) dissereret? Sunt enim pleraque (ne dicam omnia, illa pręsertim, quæ in actione aliqua versantur) quæ multo magis experientia, quàm artis præceptionibus comparantur. Vnde & Aristoteles ipse testatur, instructiores ad operandum eos esse, qui periculis & rerum experientia, quàm qui artis præceptis edocti sunt. ars enim rerum est vniuersalium, experientia verò singularium, in quibus omnis actio continetur. Quam ego sententiam (quæ ad multa & varia accommodari potest) ideo patres amplissimi in huius orationis exordio vsurpaui, vt significarem idem mihi nunc accidisse, quod illi quondam contigit Phormioni. Si enim ille merito ab Hannibale damnatus est, quòd coram experientissimo duce, de re militari (quam ipse numquam attigerat) verba facere vo-

re voluisset: an non ego cum illo pariter eodem crimine damnari possem; qui cum episcoporum functiones, & officia numquam attigerim, coram tot tamen amplissimis ecclesiæ dei ducibus & antesignanis, de officio ipsorum agere præsumam? Cum præsertim hæc disciplina nihilo sit militari inferior, sed tanto etiam superior, quanto hostis quo cum bellum gerimus infestior est, atq; immanior: nec minus hæc multarũ rerum experientia, quàm illa comparetur. Adde alias etiam huius operis difficultates. agendum enim mihi hodie est de pastorum munere, idest, de re omnium excellentissima, & maximis laboribus, & periculis obnoxia: atq; ita non solum ratio personarum, ante quas mihi agendum est, sed res etiam ipsa de qua agendum est, me a suscepti operis instituto remoratur. Esse autem episcoporum munus, rem omnium longè dignissimam, apertè innuit diuus Ambrosius, cum ait, Honor, & sublimitas episcopalis, nullis poterit comparationibus adæquari. Si eam cum regum fulgore compares, & principũ diademate, longe erit id inferius, quàm si plumbi metallum, ad auri fulgorem compares. Quippe cum videas regum colla, & principum submitti genibus sacerdotum, & deosculata eorum dextera, orationibus eorum se credunt communiri. Deniq; tanto est

Ambr. in past.

{vt

Chrysost. (vt Chrysost. ait) superius regno sacerdotium, quantum est inter spiritum, & carnem interuallum. Præterea, si raritas (vt diuus Bernard. *Bernar. in Epist.* ait) rebus pretium facit, nihil certe in ecclesia dei pretiosius, nilue optabilius est, bono vtiq; pastore: nempe rara auis est, in alto constitutum, non altum sapere, sed humilibus consentire: nil deo charius, nil apud homines rarius. ¶ Iam vero labores huius officij, qs queat numerare? Quibus enim difficultatibus omnis præfectura non modo episcoporum, sed quorumcumque etiam magistratuum, & præfectorum implicita sit, eleganter Cicero deplorat his verbis, O conditiones miseras administrandarum ciuitatum, & prouinciarum: in quibus diligentia plena simultatum est, negligentia vituperationum: vbi seueritas periculosa est, liberalitas ingrata, sermo insidiosus, assentatio perniciosa, frons omniū familiaris, multorum animus iratus, iracundiæ occultæ, blanditiæ apertæ, venientes prætores expectāt, præsentibus inseruiunt, abeuntes deserūt. Omnium rerum (ait quidam) laboriosissimum est animis præesse. Et ideo, eos qui eo accedunt, vnctos esse oportet: vt qui in certamen laboriosum descendant. Quod ipsum diuus etiam *Augusti. in quodā Serm.* Augustinus, hisce verbis testatur. Nihil est in hac vita, & maxime hoc tempore difficilius, laboriosius, & periculosius, episcopi aut presbyteri

byteri officio: sed apud deum nil beatius, si eo modo militetur, quo noster imperator iubet. Causam vero huius tãtæ difficultatis, explicat diuus Gregorius his verbis, Re vera mihi, videtur esse ars artium, & disciplina disciplinarum, hominem regere: qui certe est inter omnes animantes, & moribus varius, & voluntate diuersus. *Grego. in Moral.*

Quantis vero periculis, tã corporis quàm animæ cura hęc pastoralis obnoxia sit, satis aperte declararunt, cum alij sancti antistites, tum maxime diuus Gregorius nazianzenus: qui populorum suorũ inuidia ab ecclesia sua pulsus, furori cedens aduersariorũ, exclamans ait, Vale mihi o cathedra, sublimitas inuidiæ, & periculo obnoxia. Quibus verbis sanctissimus Præsul inimicorum odia fugiens, in nazianzenam reuertitur ecclesiam: satis per hæc ipsa declarans, quantis hæc cathedra periculorum fluctibus esset exposita. *Gregori. Nazianzenus.*

Videtis ergo Patres amplissimi, quàm vastũ & scopulosum pelagus ignarus fluctuum, & incautus nauta præternauigare incipio? Sed ratio muneris instituti me compellit, vt in cõsecratione dignissimi, & virtutibus cunctis ornatissimi pastoris, de officio, cura, & moribus optimi pastoris sermonem instituam, nisi me officio subtrahere, & præter rem agere voluero. non enim vim rebus inferre volo, sed id

assumere, quòd ipsæ mihi sponte sua tribuere videntur. ¶ Ceterum quę res, me initio dicendi trepidum facit, eadem vos magis & attentos, & solicitos reddere debet: vt quam vigilantissimis animis audiatis rem, qualem vobis depinxi: nempè omnium & dignissimam, & laboriosissimam, & innumeris cinctam periculis: & quæ tota vestra est, tota ad vos spectat, quorum omnis & labor, & periculum, & dignitas futura est. Quando igitur rei magnitudo imbecillitatem meam declarat, & diuinum auxilium flagitare ipsa videtur, ideo ad solita beatissimæ virginis Marię suffragia, suppliciter confugiamus. d. Aue Maria.

Iohan.21 SIMON Iohannis diligis me? &c. Tria mihi in his Domini Saluatoris verbis, inquisitione digna esse videntur. Primum (quoniam hæc interrogatio per comparationem prolata est, cum Dominus dicat, Simon, diligis me plus his) quærẽdum videtur (id quod diu multumq; inter doctores agitatum est) an dignissimus omnium esse debeat, is, qui ad pastoris officium deligitur. Deinde illud explicandum, quæ res sint, quæ hoc tanto munere dignum faciant. Postremo, vbi expositum fuerit multa esse, quæ ad hanc dignitatem requirantur, peruestiganda ratio erit, cur Dominus ceteris omissis, non semel atq; iterum, sed tertio

quoq; de sola interrogat dilectione. Est enim hæc cum repetitio, tum interrogatio (vt mihi quidem videtur) mysterijs refertissima, & au- ctore suo perquàm dignissima: & quæ hac di- cendi figura summam latissimi huius negotij breuissimè simul, & apertissimè complexa est. Hæc sunt præcipua huius interrogationis capi ta; quę vbi fuerint enucleata, facile constare po terit: id, quod in hac causa pręcipuum est, ni- mirū, quis sit scopus pastoralis officij: & qui- bus ad illum itineribus perueniatur. Perspecto enim fine, facile intelligentur ea, quę ad conse quendum finem ordinantur: quandoquidem secundum placita philosophorum, ratio & or- do mediorum, ex fine colligenda est.

Principio igitur constat, Dominum ante pas- sionem suam, claues ecclesiæ suę Petro promi- sisse: cum apud Matthæum dixit, Tibi dabo claues regni cælorum. Post passionem vero, ac resurrectionem suam iturus in cælum, & præsentiam suam mortalium oculis subla- turus, ne ecclesia visibilis visibili pastore de- stitueretur, Petrum pro se vicarium creauis- se, illiq; regni cælorum claues, quas ante pro- miserat, tradidisse: atq; illum his, quę audi- stis verbis compellâsse, Simon Iohannis dili- gis me plus his? Atq; vt hinc dicendi initium faciamus, interrogatio hæc circunspecta ad- modum esse videtur, cùm non filius solum, sed

Mat. 16.

Ioh. ult.

ſed pater etiam exprimatur, ne alium Simō-
nem in re tanta pro alio acciperemus: quem-
Gala. 2. admodum, & alibi apud Paulum pro Cephâ
(cui Apoſtolus in faciē reſtitiſſe dicitur) qui-
dam alium, & alium Cepham interpretantur.
Simon (inquit) Iohannis diligis me plus his?
Cui ille, Tu ſcis Domine, quia amo te. Quo in
loco illud negligendum non eſt, quòd Symon
per comparationem interrogatus, non per cō-
parationem, ſed ſimplici oratione reſpondet,
Tu ſcis Domine, quia amo te: a qua reſpon-
dendi ratione, nullis Domini interrogationi-
bus deflecti potuit. Nimirū quia meminerat,
quàm ei male ceſsiſſet, quòd paulò antea dixe-
rat, Etiam ſi omnes ſcandalizati fuerint in te,
Matt. 26. ſed ego numquam. Qui enim ſibi nimium tri-
buens, ſupra ceteros ſe incautus, & infirmita-
tis ſuæ immemor extulit, præ ceteris fœdius
corruēs, temeritatis ſuæ pœnas dedit. Sed quo-
niam electis omnia cooperantur in bonum,
Augu. in etiam ipſa peccata (vt diuus Auguſtinus ait)
medita. periculo ſuo doctus, non audet iam ſe alijs an-
teferre, quamuis per comparationem a domi-
no rogaretur, & re vera plus ceteris dominū
diligeret. Neq; enim prętermiſsis alijs, hoc do-
minus ab eo quæreret, niſi eum maior Chriſti
charitas, ceteris digniorem faceret. Sed ille ta-
men caſu ſuo non modo cautior, ſed etiam hu-
milior redditus, veritatem, quam ſine men-
daciò

dacio proferre poterat, subticuit: quoniam sæpe quod sine mendacio dicitur, sine elationis periculo non dicitur.

Prima pars.

CIRCA hæc igitur Domini verba, inquirendum esse diximus, an ad officiũ pastorale digniorẽ eligere teneamur; aut certe satis sit dignum eligere. Hæc inter doctores theologos, & iuris canonici peritos, diu multumq; agitata quæstio est. Pleriq; enim iuris peritorum satis esse arbitrantur, si dignum hominem huic muneri præficias. Nã qui cuiuis negotio præfectum eligere debet, satis officio suo functus esse videtur, si dignũ hominem pro negotij conditione præfecerit. Contra vero Theologi, maxime qui D. Thomæ doctrinam amplectuntur, huic tanto negotio, quod reliqua omnia longe superat, non modo dignum, sed etiam dignissimũ destinandum esse acriter defendunt. Verum hanc tam longam concertationem, hac nostra ætate maximo dei beneficio, sacra Synodus Tridentina diremit: cum eos mortaliter peccare, & peccatis alienis communicare asserit: qui digniores, & ecclesiæ magis vtiles pastores, præficere non curauerint. Quod quidem, & maximis rationibus comprobari, & sacrarum literarũ

apertissimis testimonijs demonstrari satis potest. Vt vero cetera omittam, abundè sanè id demonstrant trina hæc Domini saluatoris interrogatio: qua non quidem simpliciter, sed per comparationem cautè, & vigilanter interrogat, Simon Ioannis diligis me plus his? Hac enim prima pastoris ecclesiastici electione, formam ceteris præscribere volens, non simpliciter interrogat, Diligis me: sed, Diligis me plus his: vt videlicet non pari virtute & charitate fulgentem, sed ceteros antecellentem, ad tantum hoc munus deligendum esse declararet. Natura enim ipsa dictare videtur, vt qui alijs officio, ac dignitate præferri debet, ceteros vitæ splendore anteeat: quemadmodum pastor grege suo præstantior, & dux milite suo fortior, & rex subditis suis debet esse sublimior. Qui ergo maiorē in pastore, quàm in ouibus charitatem ante electionem requisiuit, aperte docuit, digniorem sanctioremq; subditis esse debere, qui eis regendis, atque dirigendis præficeretur. Quomodo enim (vt D. Ambrosius ait) credam eum consilio superiorem, quem videam moribus inferiorem? Supra me debet esse, cui me cōmitere paro. Vt vero apertissimis rationibus, rem satis per se quidem exploratam illustremus, eligere dignum, digniore prætermisso, omnibus iustitiæ legibus aduersatur, tam eius, quæ commu-
tatiua

tatiua, quam quæ diſtributiua nominatur. Diſtributiua enim iuſtitia præcipit, vt officia publica pro ratione meritorum diſtribuantur, ne dignioribus minus digni in officijs publicis prȩferantur: indignum enim eſt, vt digniores quidem eſuriant, & in obſcuro lateant, minus vero digni, rebus omnibus affluentes, in fori luce verſentur. Quod ſanè ſine perſonarum acceptione eſſe non poteſt: quæ perſonas reſpicit, non cauſas: & plus fauore & gratia, quam meritis commouetur. ¶ Peccatur etiam hic contra leges commutatiuæ iuſtitiæ. Cum enim populus ſuas ſibi opes, & liberis ſuis ſubtrahat, vt ſtipendia publica paret, quibus vigilantiſſimi ſibi præſules præficiantur: ſi tu, cuius fidei hæc electio credita eſt, cum ſtipendia habeas locupletiſſima, quibus vigilantiſſimum paſtorem præficere poſſis, non tam publicæ, quàm priuatȩ vtilitatis, conſanguinitatis ve rationem habeas, atq; alienis ſtipēdijs, tibi magis, quàm illis conſulere velis, an non abuteris fide, & poteſtate tibi commiſſa? an nō in publica commoda peccas, & iuſtitiæ ſanctiſſimas leges violas, qui opes tibi ad eccleſiæ vtilitatem creditas, in tuam tuorumq; vtilitatē priuata ratione cōuertis? Sicut enim eſt medicus medico prȩſtantior, & theologus theologo doctior, & miles milite fortior: ita eſt paſtor paſtore vigilantior. Quiſquis ergo largo

ſtipēdio ſuſcepto, quo optimum, aut medicũ, aut magiſtrum, aut militem conducat, minus bonum eligit, quoniam aut conſanguineus, aut familiaris, aut ſeruus eſt: an nõ aliena furatur? & in ſe ſuoſque refundit, quæ aliorum ſunt? Quòd ſi hunc contra iuſtitiæ leges facere exiſtimamus, quid de illo iudicabimus, qui ſuas rõnes eccleſiæ commodis, ad dei cultum, & gloriam, cõmunemque hominum, & æternam ſalutem pertinentibus, anteferat? ¶ Duo enim ſunt, quæ permouere ſolent homines ad diligenter ſeruanda, curandaque ea, quę ipſorũ fidei commiſſa ſunt, nempe aut ipſarũ pretiũ, aut periculum. Quo enim res pretioſior eſt, eo ſolet diligentius adſeruari, & quæ in periculo maiori verſatur, cautius etiã cuſtoditur. Quid vero animarũ ſalute pretioſius, pro quibus dei filius, hoc eſt, dei virtus, & dei ſapientia, non dubitauit vitam ſuam, & ſanguinem fundere? Quid maioribus periculis obnoxiũ, quã ipſa ſalus animarum, cum militia ſit vita noſtra ſuper terram, cum hoſtibus vndique telisq; cingamur, cũ inter dracones, & ſcorpiones verſemur, cum circunſtet nos vndiq; peccatũ? Hinc enim illud eſt quod ipſe Dominus ait, arctam eſſe viam quæ ducit ad vitã, & paucos eſſe qui per eam ingrediantur: &, multos
Mat.7. quidem eſſe vocatos, paucos vero electos. In
Mat.22. mari Marſiliæ (inquit Ber.) ex decem nauibus,

vix vna aliqua periclitatur, at in mari huius ſęculi, ex decem animabus, vix vna ſeruatur. Deniq; inter omnia mundi pericula, cedo mihi aliud præſentius maiusq́ue, quàm animarũ periculum? & inter omnia quæ in pretio habẽtur, quid quæſo mihi pretioſius deſignabis? Quid aurum, quid gemmæ, opes, imperia, vniuerſa deniq;, quę totius vniuerſitatis ambitu coercentur, ſi cum animæ vnius dignitate conferantur? àn non tenuiſſimæ ſtipulæ, abiectiſſimo pulueri, vmbræq; inaniſſimæ, ſimilia eſſe videbuntur? Si igitur, & de re omnium pretioſiſſima, & de periculorũ omnium grauiſſimo agitur, quomodo prætermiſſo diligentiſſimo, & optimo eius cuſtode, & curatore, min⁹ idoneum illi præficias? Age dum, ſi regis cuiuſuis ſalus periclitaretur, an excellentiſſimis, atque peritiſſimis medicis contemptis, vulgaribus illum cõmittere auderes? Si valida tempeſtate iactatus, mors tibi ante oculos verſaretur, prætermiſſo ne ſapientiſſimo, & experientiſſimo nauclero, clauum vulgaribus commiſiſſes? Si tota item Reip. ſalus, ex vnius fortuna belli penderet, & haberes ſtrenuos quidem imperatores, vnum vero inter eos facile principem, & in militari diſciplina longe peritiſſimum, an non hoc tempore ratio ipſa, & natura dictaret, vt in ſummo rerum cardine, atq; periculo ad ſumma, & maxima remedia confugeres?

fugeres? quis hoc mentis compos negare posſit? quis in eiuſmodi caſibus, ſi male res cederet, non culpam omnem in eum reijceret, qui aut præſtantiſſimum medicum, aut vigilantiſſimum nauclerum, aut ſapientiſſimum imperatorem, cũ facile poſſet, non adhiberet? Quid vero hæc omnia ſunt, ſi animarum & eccleſiæ ſaluti comparentur: niſi aut ſomnia quædam, aut meræ nugę? Si ergo in his prouidendis, ita nos communis ſenſus, & ratio naturalis inſtituit, vt in ſummis negotijs atq; periculis, ſumma item remedia conquireremus, quid in re omnium maxima, atq; grauiſſima nos facere par eſt? ¶ Cuius rei cum multa quidem, & præclara exempla adduci poſſint, nullũ tamen aut maius, aut illuſtrius eſt, quàm ipſius Dei opt. max. qui cum eccleſiæ ſuæ prouidere pontificem & paſtorem voluiſſet, eum elegit, quo neq; in cælo neq; in terra vllus erat dignior: nempe vnicum filium ſuum, quem non modo auctorem ſalutis noſtrę, ſed etiam pontificem, ſummũq; ſacerdotem in mundum deſtinauit: cũ tamen alios ad hoc ipſum delegare potuiſſet. Quod idem ipſe filius per Eſaiam ſignifica
Eſai. 43. uit dicens, Ego ſum, ego ſum, qui deleo iniqui tates tuas propter me. vbi alius interpres euidentius vertit, Ego, ego ille ipſe ſum, qui deleo, &c. vt aperte intelligas nulli alij medendi peccatis noſtris curam creditam fuiſſe, quàm

ipſi

ipſi vnigenito filio dei. Quod explicatius adhuc, per eundem Prophetam alibi expreſſit dicens, In omni tribulatione eorum non eſt tribulatus. & (vt alius vertit interpres) non legatus aut angelus, ſed ipſe ſaluauit eos, & portauit eos cunctis diebus ſæculi. Si igitur Deus pater tãti animarum noſtrarum ſalutem fecit, vt cum angelos, aut archangelos, aut ſanctiſſimos patres ad hoc deſtinare potuiſſet, omnibus his prætermiſſis, eum elegit, quo dignior eſſe, aut cogitari nemo poteſt: qua quæſo fronte tu in vicarium, & ſucceſſorem ſuperni huius pontificis indigniorem eligas, cum poſſis eligere digniorẽ? Cur minoris facias, minuſq; charam ipſe habeas ſalutem tuam, quàm ille habuit, ad quem nihil ſalus tua pertinebat? *Eſai. 63.*

¶ Denique quid ſuper hac re concilium tridentinum definierit, quantiq; hoc negotium fecerit, audiamus. Eius verba ſic habent, Si in quibuſlibet eccleſiæ gradibus prouidenter, ſcienterq; curandum eſt, vt in Domini domo nihil ſit inordinatum, nihilq; præpoſterum, multo magis elaborandum eſt, vt in electione eius, qui ſupra omnes gradus cõſtituitur, non erretur: nam totius familiæ domini ſtatus & ordo nutabit, ſi quod requiritur in corpore, nõ inueniatur in capite. Vnde, & ſi alias ſancta Synodus de promouẽdis ad cathedrales, & ſuperiores eccleſias, nõ nulla vtiliter decreuerit:

hoc tamem munus huiusmodi esse censet, vt si pro rei magnitudine expẽdatur, numquam satis cautum de eo videri possit. Itaq; statuit, vt cum primum ecclesia vacauerit, supplicationes, ac preces publice priuatimq; habeantur: atque a Capitulo per ciuitatem, & diœcesim indicantur, quibus Clerus populusque, bonũ a deo pastorem valeat impetrare. Hortatur ergo, & monet eos omnes quorum hoc negotiũ interest, vt imprimis meminerint, nihil se ad dei gloriam, & populorũ salutem vtilius posse facere, quàm si bonos pastores, & ecclesiæ gubernandæ idoneos, promoueri studeant; eosque alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, nisi quos digniores, & ecclesiæ magis vtiles ipsi iudicauerint, non quidẽ precibus, vel humano affectu, aut ambientium suggestionibus, sed eorum exigentibus meritis, præfici diligenter curauerint. Hæc ibi. Verum de his hactenus: abunde enim ista sufficiunt, vt intelligamus quales episcopos eligere teneamur.

Ceterum quod de episcopis diximus, idem etiam de inferioribus prælatis, hoc est, priuatarum ecclesiarum rectoribus, intelligendum est. Cum enim in vtrosque (quamuis dissimili ratione) pastoris nomen cadat, eadem etiam eligendi ratio vtrobique seruanda est. De vtrisque .n. verũ est quod Sapiens ait, Qualis re- Eccle. 10.

ctor

ctor ciuitatis, tales, & inhabitantes eam. Celebris enim Philosophorum sententia est, quòd omne agens agat sibi simile. At huiusmodi rectores in ordine causarum agentium, nõ quidem naturalium, sed moralium, connumerantur: ideoque non mirum est, si quales ipsi sunt, tales etiam sint ij, qui sub eorũ potestate, atque ditione continentur. Non satis ergo est ad ecclesiæ salutem, vt episcopi omnium dignissimi sint, sed dignissimos etiam oportet esse eos, quos in consortium, & nominis, & officij sui asciscunt. ¶ Sed quoniam in hac potissimùm re, salus ecclesiæ sita est, non grauabor, quibus ad hoc rationibus episcopi teneantur, paucis commemorare. Dupplici ergo nomine ad hoc tenentur. Primum ratione vtilitatis, deinde necessitatis. Vtilitas quidẽ hac ratione perspicitur. episcopus enim quãlibet vigilans, & prouidus sit, vnicus tamen pastor est: vnus autem pastor, quomodo sufficiet tot ouium gregibus pascendis, procurandis, atque tuendis? Vnus operarius, quomodo sufficiet tot vineis fodiendis, pastinãdis, atque putandis? Vnus denique in bello dux, quamuis strenuus, militum tamen præsidio destitutus, quid aduersus inimici exercitus agmina poterit? Itaque sine duce milites, aut sine militib⁹ dux, nihilo magis usui esse possunt, quã aut sine capite membra, aut sine ministerio membro-

membrorum nudum caput. Quam ergo popu lis vtilitatem, vel spectatissima episcopi probi tas allatura est, bonorum ministrorum presi-
Eccle.4. dio destituta? Vnus (inquit sapiens) quomodo calefiet? immo vero vnus, quã libet ipse caleat, quomodo tot algentia hominum pectora calefaciet? Eget ergo ecclesiæ dux militibus strenuis, quorum opera aduersus diaboli machinas, & fraudes muniatur: sine quibus ipse per se aut nihil, aut certè parum proficiet. Debet ergo vndecumq; potuerit, viros probos in laboris, operisq; sui consortium diligentissimè conquirere, prudentissimè explorare, & libe-
1.Re.14 ralissimis præmijs inuitare, exemplo Saulis regis: de quo scriptura memorat, quòd vbicumque audijsset esse fortem, aliquem strenuumq; militem, protinus ad se vocabat, sibique iungebat: quo factum est, vt talibus viris exercitu confirmato, magnas hostium strages ederet: ita vt Israeliticus populus, qui turpiter ante philistæis seruierat, erigere se cœperit aduersus eos. Si igitur tales episcopus habuerit commilitones, intelligat sanè fructum laboris sui, numero militum parem futurum. Ita si triginta fuerint, si sexaginta, si centum, fructus quoque centesimus respondebit: quo enim plures erunt operarij, eo maior laboris huius fructus pariter consequetur. Quid vero ad ecclesiæ decorem splen-

didius, vel ad iuſtitiam honeſtius, vel ad famam epiſcopi glorioſius, quàm optimis miniſtris, velut optimis ducibus eccleſiam dei communiri? Quid non benè a bonis miniſtris curabitur? quid a malis non malè? Numquid enim (vt Saluator ait) colligunt de ſpinis vuas, aut de tribulis ficus? Sic omnis arbor bona, bonos fructus facit: mala autem arbor, malos fructus facit. Neque enim effectus a ſua cauſa degenerare ſolet: illam enim exprimit; illam refert, illam (vt ante diximus) imitatur. *Matth.7.*

¶ Ceterum neceſſitas præficiendi melioris, adeo magna eſt, vt vix vllo ſcelere diuinum numen offendi grauius, aut eccleſia lacerari truculentius poſſit, quàm ſi prætermiſſis dignioribus huiuſmodi miniſteria indignis, minusve dignis conferantur. Quis enim ferat (inquit Auguſtinus) eligi diuitem ad ſedem honoris & gloriæ, cõtempto paupere inſtructiore & ſanctiore? Hoc enim eſt accipere perſonam, quando non cauſa ſed perſona reſpicitur: quando quod cauſa non eſt, vt cauſa ſumitur: quando, aut affectibus, aut muneribus, aut precibus, aut cupiditatibus ſeruitur: & id valet quod erat contemnendum, id cõtemnitur quod erat ſequẽdum. In quo quidem crimine, multiplex ſanè reatus inuenitur. Præferens enim indignum (inquit Adrianus) reus eſt omnium animarum, quæ ob eius indignitatem peri-

periclitantur, reus est omnium flagitiorũ, quæ ex hoc crimine consequuntur, reus denique omnium, aut eleemosynarum, aut aliorum bonorum, quæ boni rectores studio, atque opera perficerentur. quemadmodum enim, qui aut imperitum medicum, aut nauclerum, aut ducem, aut pastorem præficit, reus est omnium damnorum, quæ ex horum ignorantia, aut socordia consequuta sunt: ita planè qui indignũ eligit in ecclesiæ ministrum, omnium malorũ consequentium reus est. Omnia enim hæc, & nomina, & officia cuilibet ecclesiæ ministro, simili ratione conueniunt. Nã, & medicus est, qui spiritualibus animarũ morbis mederi debet, & naucleras, qui clauum tenens, idest, animarum regimen, & ministerium verbi dei, per huius fluctuantis sęculi vndas, fideles dirigit nauigantes: dux etiam est, qui aduersus aciem Diaboli spiritualibus armis munit milites Christi: pastor quoque est, qui ad caulas æternæ vitæ gregem Domini deducit, pabulo doctrinæ sustentat, & a luporum rabie tuetur. Omnibus ergo his nominibus appellatur, quę tanto sunt insigniora, quanto anima corpori præstat, & cælestia terrenis antecellunt. Si igitur, qui in illorum ministeriorum electione personas respiciens, & causam negligens, reus omnium malorum consequentium esse dicitur, quo quæso reatu tenebitur, qui tot animarum

marum reus apud deum est, quot seruare dignior potuisset, si illis præfectus esset? Quis vero adeo obtusi cordis est, qui non animo discrucietur, si se fortassis huius tanti criminis reum agnoscat? Cum ad Dauidem Abiathar sacerdos, amissis iniuria, & crudelitate Saulis parentibus, ac fratribus in desertum profugus peruenisset, ait ad illum Dauid, Ego sum reus omnium animarum patris tui: nimirum quia neque volens, neque animaduertens, in causa fuerat, vt Saul præcipiti quodam furore percitus, inuidiaq; stimulatus, sacerdotes Domini iugularet. Quid ergo dicet qui, & sciens, & volens, & affectibus suis, aut amicorum seruiens, contẽptis dignioribus, præficit indignos, ex quorũ indignitate tot pereuntium animarum strages consequuntur? Quòd vero omnia mala hæc, in electoris caput recidant, audi Hiero. dicentem, De affeclis suis ordinantes, & vitam eorũ in scandalum populi exponentes, rei sunt infidelitatis eorũ, qui scandalizantur. Idem etiam Hieronymus ob hoc ait, Mosem noluisse filium suum, principatus sui successorem relinquere: sed alienum, & ex alia tribu instituisse: vt sciremus principatum in populo non sanguini deferendum esse, sed vitæ. At nunc plures videmus in conferendis beneficijs, non ad hoc tendere, vt eos in ecclesiæ columnas erigant, quos intelligunt magis profu- 1.Re. 22.

profuturos: ſed quos vel ipſi amant, vel quorum ſunt obſequijs deliniti, vel pro quibus maiorum quiſpiam rogauerit & (vt deteriora taceam) qui vt clerici fierent, muneribus impetrarunt. Hactenus ille. ¶ Quoniam verò abuſus hic, vehementiſſimè ſemper eccleſiæ nocuit, Concilium quoddam huic tanto malo occurrere volens, ſummum quod humana ratione excogitari poterat remedium (malitiæ tamen hominum obnoxium) opponere volens, pragmatica ſanctione decreuit, vt electores miniſtrorum eccleſiæ decantata prius Miſſa Spiritusſancti, poſt ſacramentalem peccatorum confeſſionem, & venerabilis euchariſtiæ ſumptionem, in manibus præſidentium huiuſmodi ſe iuramenti religione cõſtringerent, Ego N. iuro, & promitto omnipotenti Deo, & ſancto vel Sanctæ, cuius nomini dedicata eſt hæc eccleſia, eum eligere, quem credam futurum eſſe in ſpiritualibus, & temporalibus meliorem: nec illi, vocis meæ ſuffragio patrocinari, quem veriſimiliter ſciuero promiſſione, aut collatione alicuius rei temporalis, ſeu prece, per ſe vel alium interpoſita, aut aliás qualitercumque directè vel indirectè, ſibi electionem procuraſſe. Et quamuis decretum hoc nõ obliget, nouum ius inducendo, dat tñ intelligere quid hoc noſtro calamitoſiſſimo ſæculo (quando fides nutat, & omnis iuſtitia

atque

atque virtus exulat, solaque externa bona petuntur) pastoribus ecclesiæ necessarium sit, vt tanto discrimini occurrant. ¶ Quicumque igitur pastor rectè sapit, qui salutem ecclesiæ suæ supra omnia charam habet, qui tot animarum iacturam, sibi a Domino imputari refugit, qui gloriã Domini sui, cuius personam gerit supra omnia diligit, quiq; animæ suæ salutem aliorum cõmodis, aut lucris anteferendam putat, exhibeat se hac ĩ re veluti murum æneum, & columnã ferream, immo & adamantinam: ne aut adulantiũ vocibus, aut simulantium obsequijs, aut consanguineorum affectibus, aut amicorum præcibus, aut principum gratiæ cedens, tam grauiter ecclesiam lædat, vt indigniores præferat dignis. Adeo enim auri sacra fames, adeo auaritia, & ambitio humana pectora obsederunt, vt non tot arietibus milites quatiant mœnia hostiũ, quot miserum episcopi pectus homines expugnant, vt ab eo tandem, quod cupiunt extorqueãt. Neq; enim tantum aut honoris, aut prouẽtus, ex victoria milites petunt, quantum ex pinguiori aliquo beneficio: quo non modo qui adeptus est, sed tota interim eius familia, & alitur, & honoratur. Quid ergo mirum, si maiori impetu in pectus episcopi irrumpant, quos maior extimulat cupiditas, & qui maiores ex hac victoria, quã ex illa fructus prestolãtur? Si ergo timore pariter,

& amore dei, metuque gehennæ non fuerit; velut adamantinis feris munitum pectus episcopi, quomodo tot tantisque machinis queat obsistere? Quisquis igitur sic instructus est, D. Chrysostomum audiat ita monentem, Sit episcopus seuerus, sit mitis, & humilis, sit liber, & vehemens, sit etiam mansuetus; & constans: vt eum quem dignum esse viderit; cum multa potestate sistat, etiam si vniuersi obstiterint: indignum vero, etiam si multorum suffragia eum prosequantur, cum eadem auctoritate respuat, nihil aliud respiciens, nisi ædificationem ecclesiæ, nec quicquam faciat odio, vel amore. verum de his hactenus; Nunc ad aliud quod secundo loco mihi proposueram, transeundum est.

Secunda pars.



ROXIMVM enim erat, vt deinde quæreremus (id quod est huius causæ caput) quæ res potissimum sint, quę hominem hoc tanto munere dignum, hoc est; optimũ pastorem efficiant. Et quidem M. Tullius cum de optimo Imperatore diligendo; dissereret, Ego, inquit, sic statuo, in summo imperatore quatuor has res inesse oportere; virtutem, scientiam rei militaris, auctoritaté, felicitatem. Apte quidem ille, quæ optimi imperatoris

peratoris præcipuæ partes essent, cõplexus est. At nos nõ eum, hic imperatorem describimus, qui ab armorum incursionibus ciuitatem tueri, hostium impetum propulsare, aciemque instruere debeat: sed eum quærimus episcopũ, qui nobis spiritualis dux, & antesignanus aduersus principes huius mũdi, & potestates tenebrarum harum (quibuscum continenter bellum gerimus) futurus sit. Ideoq; non admodũ dissimilis descriptio boni pastoris, ac imperatoris esse debet. In quo optime constituendo, quinq; necessaria esse vide, nempe vitæ sanctitatem, prudentiam, & in rebus gerendis diligentiam, fortitudinem, atq; scientiam: ex quibus velut fontibus, cetera virtutũ officia, quæ in eo requiruntur, emanant. De his igitur suo iam ordine disseramus.

PRIMO igitur loco sese sanctitas, vitæq; innocentia offert: quod vel ex his domini verbis (quæ initio proposuimus) satis apertè colligitur: qui cum de meritis eligendi pastoris ageret, ceteris omnibus silentio prætermissis, vnam exigit charitatem, & ita exigit, vt non semel interrogasse contentus, iterum atq; iterũ eandem repetat charitatẽ. At vbi charitas est, ibi & sanctitas omnis, ac vitæ puritas est: adeo, vt quantum quisq; habeat charitatis, tantundẽ habeat & virtutis. Ait enim Bernar. sup Cant.

Sanctitas Episcopi qualis.

Bernar. sup Cant.

Bernar. super Cát. Quantitas vniuscuiusq; animæ æstimatur ex mensura charitatis, quam habet: vt verbi gratia, quæ multum charitatis habeat, magna sit: quæ parum, parua: quæ verò nullam, nihil omnino sit, dicente Apostolo, Si charitatem non habuero, nihil sum. *1.Cor.13* Qui ergo ante omnia charitatē exigit, in qua summa sanctitatis est, vtiq; sanctitatem primo loco exigit. De qua etiam in concilio tridentino, ita monentur episcopi. Nihil est quod alios magis ad pietatem, & dei cultum assidue instruat, quàm eorum vita & exemplum, qui se diuino ministerio dedicarunt. Cũ enim a rebus sæculi, in altiorem sublati locum conspiciantur, in eos tamquam in speculum reliqui oculos conijciunt, ex ijsq; sumunt qđ imitentur. Quapropter sic decet omnino clericos, in sortem domini vocatos, vitam moresq; suos cōponere, vt habitu, gestu, incessu, sermone, alijsq; omnibus rebus, nil nisi graue, moderatum, ac religione plenum præseferant: leuiá etiam delicta, quę in ipsis maxima essent, effugiant: vt eorum actiones cunctis afferant venerationem. ¶ Hęc igitur sanctitatis præstantia, facile colligitur ex statu, nomine, & officio episcoporum. Ex ordine quidem, quia in perfectissimo ecclesię statu, atq; ordine constituti sunt. Apostolorum enim successores sunt & vicarij; quos in summo ecclesiæ cardine positos esse Apostolus ipse describit. Et quamuis

status monachorum, eorum præsertim qui arctissimum viuendi genus profitetur, sublimis in ecclesia sit, sublimior tamen est status episcoporum: & quo sublimior, eo debet esse sanctitate præstantior. Monachi enim, vel ipsi etiã Cartusiani, ad quos ex cunctis monachorũ ordinibus transitus patet, ad perfectionem solũ tendere tenentur: episcopi autem (quod ad status sui naturam attinet) nõ ad perfectionẽ tendere, sed in ipso iam perfectionis culmine positos esse decet. Ita enim diuina prouidentia cõparatũ est, vt queadmodũ corpora cęlestia (quę ceteris corporibus regendis proposita sunt) tãtum alijs pulchritudine, nobilitate, & diuturnitate, quantũ officio, excellunt: ita necesse est, vt qui homines in ecclesia ceteris hoibus regẽdis præficiuntur, quantũ eos superant honore, tantum vitæ meritis & sanctitate pręcellant.

¶ Idem etiam ex ipsorum nomine colligitur. Pastores enim eos dominus, hac trina interrogatione appellauit, quibus pascendi oues officium in Petro commisit. Quid ergo ex eorum nomine sequitur, nisi quod diuus Gregor. ait, Tantum debet actionem populi, actio trãscendere præsulis, quantum distare solet a grege vita pastoris? Oportet enim vt metiri sese solicite studeat, quanta tenendæ rectitudinis necessitate constringatur: sub cuius æstimatione populus, grex vocatur. *Gregori. in Past.*

¶ Idem etiam ex officio pastorali facile cognoscitur. Officiũ enim pastoris est cooperari deo ad salutem animarum, dum aut malos reuocat a malis, aut bonos reddere studet meliores. Est ergo munus hoc excellentissimum, & supra omnem humanam facultatem positum, superno tamen dei dono episcopis commissum. Quid enim aliud aut optabilius, aut magis ad salutem necessarium, quàm artifices in Republica christiana esse, qui ex malis hominibus bonos, aut bonos ipsos reddant meliores? Qua ergo sanctitate pollere necesse est, qui sanctitate sua alios sanctos efficere debeat? Sal enim qui cetera condire solet, salsissimus est, & ignis qui corpora frigida calefacit, calidissimus, & mel quo cibos dulces facimus, dulcissimum fit oportet. Quisquis ergo alios sanctos efficere debet, sanctissimus sit necesse est. ¶ Constat etiam ita esse natura comparatum, vt omne agens agat sibi simile: homo enim generat hominem, equus equum, & ignis ignem. Quod non solum in ijs quæ a natura, sed in ijs etiam quæ ab arte efficiuntur, videre est. Pictor enim esse debet: qui alium pictorem faciat: & philosophus, qui philosophum: & musicus, qui musicum. Sanctus ergo imprimis esse debet, qui alios efficere debet sanctos, cũ nemo alijs dare possit, quod ipse non habeat. Neq; vulgari aliqua, sed eximia atq; excellenti sanctitate,

te, opus eſt, vt alios tui ſimiles efficias. Semper enim effectus in cauſa ſua eminentior, atq; fortior eſt: vt fulgor ipſe ſiderum, qui a Sole dimanat, longè ſplendidior in ipſo Sole, quàm in aſtris eſt. Ergo maxima ſanctitate fulgere debet is, qui velut Sol quidam ſanctitatis, in omnes alios tamquam ſidera quædam, ſanctitatis ſuæ radios emittere debet: quiq; tanta fulgeat ſanctitate, vt de eius plenitudine omnes accipiant. Vnde cum in lege veteri dominus aquas expiationis, & cineres vaccę rufę ad purificationem hominum deſignaſſet, munus tamen hoc mundis hominibus commiſit: vt ſic mundus luſtraret immundum, & ita demum emundaretur. Vides ergo quomodo mundum eſſe oportet, qui aliorum ſordes debeat expiare. Recte enim Eccleſiaſticus ait, Ab immundo quis mundabitur? Cui ſimile eſt illud Gre. Manus ſordida aliam non lauat, & oculus plenus puluere, maculam non conſiderat: ita mũdus debet eſſe, qui vult aliena corrigere. ¶Si quis autem corripiendi officium ſuſcipit, qui multa in ſe habeat correctione digna, is contra ſe habet Apoſtolum horribiliter intonantem. Si tu, inquit, confidis teipſum eſſe ducem cæcorum, lumen eorum, qui in tenebris ſunt, eruditorem inſipientium, magiſtrum infantium, habentem formam ſcientiæ, & virtutis in lege: qui ergo alium doces, te ipſum non doces?

Num. 19
Eccli. 34.
Greg. mo. lib. 7.
Rom. 2.

doces? qui prædicas non furandum, furaris? qui dicis non mœchandum, mœcharis? qui abhominaris ydola, sacrilegium facis? qui in lege gloriaris, per preuaricationem legis, deũ inhonoras? ¶ Quæ cum ita sint, cum episcopus tot nominibus sanctitate vitæ debeat ceteros anteire, quid magis aut preposterum, aut indignum, quàm in tam insigni dignitate, viles

Leui. 21. atq; vulgares mores deprehendi? Hoc enim illud est, q̃d acriter in lege dominus prohibuit, cum iussit ne summus sacerdos scortum, & vile prostibulum duceret vxorem. Is enim scortum ducere dicitur, qui communem omnium vitam, & vulgares populi mores, & opiniones consectatur: scortum enim, omnium communis vxor est. Vehementer enim indignum est, vt cõmunis sit vita eius, cuius est dignitas singularis. Nihil vero est, vel ad perniciem ecclesiæ nocentius, vel ad decorem monstrosius, vel ad publicam salutem infensius, quàm si is, qui omnes dignitate præit, moribus & vita subsit. Quam quidem indignitatem appositissimis verbis diuus Bernardus ad Eugeniũ testatur hoc modo, Monstruosa (inquit) res est, gradus summus, & animus infimus: sedes prima, & vita ima: lingua magniloqua, & manus otiosa: sermo multus, & fructus nullus: vultus grauis, & actus leuis: caput canum, & cor vanum: facies rugosa, & lingua nugosa:

Bern. ad Eugeniũ.

augoſa: ingens auctoritas, & nutans ſtabilitas? Ex quibus planè verbis apparet, nihil in eccleſia dei eſſe indignius, quàm ſi is, qui in ſummo rerum cardine conſtitutus eſt, vulgari vita ſit præditus: & terrena ſapiat, qui ceteros a terrenis abſtractos, ad cæleſtia rapere debuiſſet. Quod quidem monſtrum acerbius idem Bernardus, ac fuſius alio in loco inſectatur, tractãs illud Prouerb. 25. Cælum ſurſum, & terra deorſum &c. vbi ait, Negligentia prælatorũ tantam deordinationem, & confuſionem induxit, quòd in eis eſt terra ſurſum, & cælũ deorſum: pedes ſupra caput, facies retro, & interiora extra effuſa ſunt. Deus ibi conculcatur, & terra deificatur: diabolus honorifice recipitur, deus vero contumelioſe repellitur. Quę quidẽ horrenda monſtra, ita ibidem vir ſanctus exponit. Terra (inquit) ſurſum eſt, & cælum deorſum, vbi terrena cæleſtibus, & ima ſummis præponuntur. Pedes ſunt ſupra caput, vbi viri ſpirituales deſpiciuntur, homines vero terrena ſapientes, & ad ſolum regimen temporalium vtiles, in honore habentur. Facies eſt retro, cum in operibus quę videntur bona, potius vtilitas terrena intenditur, quàm merces interna. Interiora effuſa ſunt extra, cum bona interna negligũtur, & exteriora diliguntur: deus vero conculcatur, & terra deificatur, vbi deficit charitas, & regnat cupiditas: diabolus

Bernar. in expoſitio ne regulæ S. Benedicti, parte 3. cap. 7.

honorificè recipitur, & deus cõtumeliose repellitur, vbi raptores & vsurarij cum honore recipiuntur, & magnis expensis procurantur: boni vero pauperes, vel repulsam patiuntur, vel omnino negliguntur. Habetis ergo patres ex his Bernardi verbis, quot portenta, ac monstra deformis vnius pastoris vita parturiat. Error enim in eo, qui pręest, & omnibus in exemplum propositus est, non potest non plures in ceteris, qui ei subsunt errores parere. Quemadmodum enim, si primus cęlestiũ orbium a solito cursu suo aberraret, necessario omnia, quę in hoc inferiori mundo sunt perturbarentur (vtpote quæ ab illo primo motu pendent) ita cum episcopus sit velut prima causa, primusq; motor omnium quæ in ecclesia fiunt, necesse est vt vitium quod in eo, velut in prima causa est, per omnia ecclesiastici corporis membra diffundatur, vnde tot portenta oriuntur. quo fit, vt vnius crimen, subditorum omnium ruina sit. Quod planè sanctus propheta apertissimis verbis indicauit, cum secundum versionem Hieronymi ait, In circuitu impij ambulant, cum exaltati fuerint vilissimi filiorum hominum, Quando enim hos regnare contigerit, & clauum Reip. tenere, quid aliud quàm animarum naufragia, & malorum omniũ colluuionem consequi necesse est? Ex quibus omnibus aperte colligitur, quàm necessaria sit in

psal. 11.

magi-

magiſtris ſanctitatis, vitæ ſanctitas, quàmq; monſtroſa, ac deteſtāda omnis iniquitas; quod primum eſt inter ea, quæ ad optimum paſtorē conſtituendum requiri ſupra memorauimus.

POST ſanctitatem vero prudentia ſequitur, quæ & ipſius charitatis, & omnium virtutum auriga eſt: quam diuus Bernardus ab inſtituto profeſſionis ſuæ non recedens, virtutum abbatiſſam non incommode nuncupauit. Ad ipſam enim pertinet virtutes omnes dirigere, mediumq; in eis definire, & ipſius etiam charitatis feruorem, ne in furorem degeneret, velut freno quodam, & temperamento coercere. Hæc autem virtus cum omnibus alijs, tum his, qui principatum gerunt maximè neceſſaria eſt. Ad principem enim ſpectat ordinare, hoc eſt, homines ipſos conuenientibus medijs in ſuos fines dirigere; quod ſapientis atq; prudentis viri munus eſt. Vnde quemadmodum natura ipſa corporibus animantium oculos contulit, qui membra cetera certa ratione dirigerent, ita in corpore Reip. princeps, & in eccleſia epiſcopus inſtar oculorum ſunt, qui ceterorum membrorum eccleſiaſtici corporis actiones omnes, ad certiſſimā diuinę legis normam dirigere debent: ex quo etiam nomen ipſum epiſcopi deriuatum eſt. Epiſcopus enim græca vox eſt, a contemplando vel ſpeculando deducta. Vnde ſpeculatorem vocat eū

Prudētia epiſcopi.

domi-

Ezech. 3. dominus apud Ezechielem dicens, Fili hominis speculatorem dedi te domui Israël. Quæ quidem prudentiæ virtus, adeo curam publicã gerentibus necessaria est, vt hanc vnam Salomon (optione sibi a deo data petēdi quod vellet) poposcerit: qua populum sibi commissum regere, & in officio continere posset. Quæ

3. Reg. 3. sanè eius petitio, ita deo placuit, vt non solum quam petiuit prudentiam, sed opes etiam, & gloriam quas non petierat, cumulatissime fuerit impartitus. Est enim hæc virtus, adeo prin-

Prou. 8. cipibus necessaria, vt eadem in libris Sapientię de se ipsa testetur, Reges omnes per se vnam, regium principatum tenere, & legum conditores iusta decernere. Ipsius numine principes imperare, & qui auctoritate plurimum valēt, iustitiæ moderationem tenere. Et haud multo post, virtutis huius vim idem Salomon, per e-

Prou. 1. iusdem prudētiæ personam ita exaggerat, Au-

Prou. 17. diens sapiens sapientior erit, & intelligens gubernacula possidebit. Et rursus, Seruus sapiēs dominabitur filijs stultis: & inter fratres hæreditatem diuidet. Cumq; filius natura superior sit, & seruus inferior, adeo tamen potens est sapientia, vt ex seruo non modo liberum,

Grego. in Pastora. sed etiam liberis superiorem faciat. Quamobrem merito diuus Gregorius aduersus eos, qui tantæ huius virtutis præsidio destituti, pastoris officium inuadunt, clamat dicens, Nulla res

doceri

doceri præsumitur, nisi intenta prius meditatione discatur. Ab imperitis ergo pastorale magisterium, qua temeritate suscipitur, quando ars est artium regimen animarum? Quid enim ex hoc consequi necesse est, nisi quod a domino dictum est, Cæci sunt, & duces cæcorum, Cęcus autem si cæco ducatum præbeat, ambo in foueam cadunt? Cæcitatem vero hanc dominus, tamquam maximum flagellum impijs per Prophetam comminatur dicens, Ecce ego addam, vt admirationem faciam populo huic, miraculo grandi, & stupendo: peribit enim sapientia a sapientibus, & intellectus prudentiũ eius abscondetur. Sine prudentia autem & intellectu, quid pręclarè poteris administrare, etiam si omnibus alijs virtutibus instructus sis? Hęc enim virtus vbiq; in litteris sanctis fortitudini antefertur: quoniam efficacior est ad res gerendas prudenter excogitata ratio, quam quęcumq; siue potentia, siue fortitudo, huiusmodi consilio destituta. Vnde scriptum est, Ciuitatem fortium ascendit sapiens, destruxitq; robur fiducię eius.

Mat. 15. *Esai. 29.* *Prou. 21.*

III.

POST prudentiam sequitur in rebus agendis diligentia, & pia quædam pastoralis curæ solicitudo, quæ velut aculeus quidam est, & stimulus rerum gerendarum: quæ adeo pastoribus necessaria est, ut huius præcipue mentionem

Diligêtia & folicitudo Episcopi.

tionem fecerit Apostolus, cum officia singulis ecclesiæ gradibus conuenientia distribuens, pastori tribuit solicitudinem dicens, Qui præ-
Rom. 12. est in solicitudine. Quam ipse vsque adeo retinuit, vt inter maximos labores, quos pro dei gloria illustranda, Euangelioq; amplificando perpessus fuit, instantiam suam quotidianam, omniumq; ecclesiarum dei solicitudinem cõnumerauerit. Cuius sanè illa sunt officia maxime propria, quæ mox explicauit, dicens,
2. cor. 12. Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non vror? Huius vero imaginem, vigilans ille pastor nobis exhibuit,
Gene. 13. qui expostulanti socero ait, Die noctuq; æstu vrebar & gelu, fugiebatq; somnus ab oculis meis. si quid furto perierat, a me exigebas: ego damnum omne reddebam. Quòd si tanta cura mutas oues, ab incursu bestiarum peruigil pastor seruare debet, quid quæso par est, vt rationalium ouium pastor efficiat, quo eas ab incursu, & faucibus rugientium dæmonum eripiat? Quam etiam curam, satis quidem accu-
Prou. 6. rate Salomon sub fidei iussoris imagine depinxit, cum ait, Fili mi si spoponderis pro amico tuo, defixisti apud extraneum animam tuam: illaqueatus es verbis oris tui, & captus proprijs sermonibus. Fac ergo quod dico fili mi, & temetipsum libera: quia incidisti in manum proximi tui. Discurre, festina, suscita amicum
tuum

tuum, ne dederis somnum oculis tuis, neque dormitent palpebræ tuæ: eruere quasi damula de manu, & quasi auis de insidijs aucupis. quibus verbis videtur mihi Salomon pro dignitate, curam pastoralis officij descripsisse. Videbat enim homo sapientia dei plenus dignitatem animarum, intelligebatq; similem dignitati curam futuram: neq; dissimilem rationem de tam pretioso deposito exigendam: ac proinde tanta contentione curatorem excitat, vrget, ac modis omnibus extimulat vt discurrat, festinet, suscitet amicum suum: hoc est, vt admoneat, arguat, obsecret, increpet, faciem commutet, & in omnes se vertat figuras, vt oues tandē, quas sibi charissimas esse oportet, & amici nomine censentur, ad operādum, debitumq; religionis officium exoluendum, excitet, ac vigilare, & sibi prospicere faciat.

¶ Iungenda ergo est prudentiæ solicitudo, ac diligentia, sine qua prudentia ipsa manca esset & mutila. Quemadmodum enim natura, quæ homini animum, & mentem dedit, corporis etiam membra tribuit, quæ veluti quidam satellites, ac famuli mentis decreta perficerent: ita etiam prudentiæ adhibenda diligentia est, quæ celeriter exequatur quidquid natura, prudentiæ deliberatione sancitum fuerit. Alioqui cum prudentia non ad contemplandum, sed ad efficiendum instituta sit, quid poderit opti-

ma reperisse, si nihil tandem efficias? Quid aut excellentissimus in bello dux, aut experientissimus in mari nauta, aut medicus peritissimus vtilitatis afferent, si quæ illi consuluerint, aut iusserint, nemo exequatur? Quemadmodum enim non satis est audire legem dei, nisi ea exequaris, quę ipsa lex præceperit; ita nō satis est si prudentiam habeas, qua agenda discernas, si diligentiā non adhibeas, qua decreta perficias.

IIII.

Fortitudo Episcopi. Sed alium adhuc comitem prudentia desiderat, nempe fortitudinem. Frequenter enim prudentia definit ardua quædam, propter virtutem esse aggrediēda, manumq; ad fortia mittendam: ad quod neq; sola sufficit prudentia; neq; pares habet vires diligentia, si fortitudinis præsidio destituta sit. Sæpe enim ecclesiæ iura ab inuasoribus defendenda, sępe amissa bona repetenda, permulta quoq; potentibus viris, quę iniuste exigunt, neganda, innumerabiliaq; multorum vitia, vel obiurganda, vel resecanda sunt. Quid? quòd cum hæreticis, & hęreticorum fautoribus, & cum principibus sæpe viris decertandum est? Denique sicut ipse princeps pastorum Christus, in petram offensionis, & in signum positus fuit; aduersus quem insurgeret mundus, & contra quem fremerent gentes, & principes conuenirent in vnum: ita quisquis locum eius

Luc. 2.

psal. 2.

tenet.

tenet, & ſpiritum eius hauſit, & munus exequitur; ſimile certamen ſe ſciat eſſe ſubiturum. Ea enim carnis, & ſanguinis natura eſt, ea ad malum procliuitas, vt ſemper aduerſus ſpiritum ſpiritualiaq; decreta totis viribus decertet. Denique in eo loco epiſcopus conſtitutus eſt, vt vere in illum cadat, quod olim de Iſmahele dictum eſt, Manus eius contra omnes, & manus omnium contra eum; atq; è regione fratrum ſuorum figet tentoria. Quanta ergo ad hęc omnia, fortitudine opus eſt? nimirum tanta, quanta olim prophetas dominus armauit, cum eos ad inſectanda hominum flagitia mitteret. Quo quidem ſpiritu afflatus, & armatus olim Micheas, ait, Ego autem repletus ſum fortitudine ſpiritus domini, iudicio, & virtute, vt annuntiem iacob ſcelus ſuum, & iſrael peccatum ſuum. Hieremiæ vero dominus ipſe dicit, Ego quippe dedi te hodie in ciuitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum æreum ſuper omnem terram, regibus iuda & principibus eius. Ezechieli vero dicit, Ecce dedi frontem tuam, valentiorem frontibus eorum: vt adamantem, & ſilicem dedi faciem tuam. Vide quæſo qua fortitudine armatus erat, qui adamanti cōparatur. Adamas enim adeo impenetrabilis eſt, vt ictus malleo, magis ipſum malleum conterat, quàm ab eo cōteratur. Qua mirabili

Gene. 16.

Miche. 3.

Hiere. 1.

Ezech. 3.

rabili fortitudine, & inuicto robore, sancti martyres & prophetæ, vsq; adeo excelluerũt, vt non modo tormentorum ictibus non cederent, sed illos etiam votis omnibus expeterẽt: sicut idẽ ille Hieremias expetebat dicens, Propterea laborem & miseriam inuocabo. Vt fortis enim athleta, adeo labores pugnasq; nõ extimescebat, vt vel eas etiam vltro in certamen vocaret: sic enim hunc locum explanat Hieronymus. ¶ Hac fortitudine munitus erat sanctus ille Thomas cantuariensis antistes, quando nullis, neq; suis, neq; suorum cladibus flecti potuit, vt iniquo regi ecclesiæ iura inuadere cupienti, cederet. hac erat armatus Ambrosius, quando Theodosium imperatorem propter admissum scelus ab ecclesiæ ingressu prohibuit, quando publicam pœnitentiam indixit, quãdo extra cancellos chori ad diuina stare fecit (quodq; his maius est) quando imperatori arriano basilicas peteti, & mortem etiã minitãti, infracto animo restitit dicens, Tradere basilicas nõ possum, sed pugnare nõ debeo: quia nõ tradẽdas, sed seruãdas accepi. quid vero Alexandrũ alexandriç antistitẽ, memorẽ? Nã & is Eusebij, & Arrij potẽtissimorũ hæreticorũ telis, ac minis orãdo magis, quàm pugnando constantissime restitit, Quid denique successorem eius Athanasium, cuius insuperabilem fortitudinem atq; constantiam totus

Hiero. su per Abacuc. c. 1.

Videas Ruf. Hyst. Eccle. lib. 1. c. 12

aduerſus eum concitatus orbis, ſuperare non potuit? Quid vero in tantis rerum difficultatibus, faceret epiſcopus, fortitudinis huius armis deſtitutus? Nempe ſine hoc tanto ſpiritu, ſine his armis, ſine hac animi magnitudine, ruet equitas, innocẽtia iacebit, ſqualebit iuſtitia, integritas obſoleſcet, & omnis eccleſiaſtica diſciplina ſimul concidet: dum importunitati, atque tyrannidi impiorum cedit inermis, & imbecilla prudentia. Quòd euidenter planè D. Cyprianus in epiſtola quadam ad Cornelium papam, his verbis exprimit dicens, Quòd ſi ita res eſt frater, vt nequiſſimorum timeatur audacia, vt quòd mali iure, & æquitate non poſſunt, temeritate atque deſperatione perficiant, actum eſt de epiſcopatus vigore, & de eccleſiæ gubernandæ ſublimi, ac diuina poteſtate: nec chriſtiani vltra aut durare, aut eſſe poſſumus, ſi ad hoc vẽtum eſt, vt perditorum minas, atque inſidias pertimeſcamus. Et mox, Manere debet apud nos frater fidei, robur immobile, & ſtabilis, atq; inconcuſſa virtus contra omnes incurſus, atque impetus oblatrantium fluctuum, velut petræ obiacentis fortitudine, & mole, debet obſiſtere. Et rurſum, Conuitia eorum quibus ſe, & vitam ſuam quotidie lacerant non timemus, fuſtes, & lapides, & gladios, quos verbis parricidalibus iactitant, non perhorreſcimus: quod in illis eſt, homi-

Cypri. in Epiſt. ad Cornel.

cidæ sunt apud deum tales, necare tamen non possunt, nisi eis dominus permiserit. Hæc est ergo fortitudo, qua episcopi pectus munitum esse debet; vt ius, vt fas, vt innocentiā, fidemq; tueatur, vt cum gregibus flagitiosorum hominum, aduersus ecclesiæ decreta pugnantium, confligetur: quam si non habeat, non ascendat cathedram: quia huic tanto numeri

Ecclesi.7. impar est. Sic enim ait Sapiens, Noli fieri iudex, nisi valeas virtute dirumpere iniquita-

Ibidem. tem. Et apertius adhuc, Noli accipere ab homine ducatum, neque a rege cathedram honoris: ne fortè extimescas vultum potentis, & ponas scandalum in agilitatem tuam. Rectissimè enim, & grauissimè a Seneca dictum est, Odia qui nimiū timet, regnare nescit. Quamuis enim (vt sapiens quidam dixit) nullum supplitium sit grauius publico odio, hoc tamen supplitium propter ecclesiæ salutem, ac disciplinam retinendam, constanti & recto animo subeundum est. Propter hoc ergo prudentiæ, non modo diligentia, sed etiam fortitudo iungenda est: quæ decretis prudentiæ viam muniat, quoties arduum aliquid aggrediendum est. In quo etiam ipsius naturæ, mirabilem rationem imitari debemus: quæ in appetendi potentia non modo vim concupiscibilem, sed etiam irascibilem, velut satellitem armatum posuit: vt quoties arduum ali-

quid

quid animus concupiſceret, ſpiritum quoque, & impetũ haberet generoſum, quo in illud irrumperet: ne ex difficultate rei deſperatione concepta, neceſſarijs ad vitam opibus natura deſtitueretur. Qua vi ſi aliquod animal orbatum naſceretur, non minus inter monſtra referendum eſſet, quàm ſi altero aut oculo, aut pede orbatum eſſet. Atque hoc nomine appellare ſoleo eos omnes, qui recta quidem cupiunt, nihil tamen aut ex inertia, aut ex infirmitate animi operantur: facile enim pronuntio eos, ſpiritualia quædam monſtra eſſe, quæ vim quandam habeant, qua recta concupiſcant, non autem qua viriliter aggrediantur ea, quæ rectè concupierunt.

V.

Scientia epiſcopi.

VLTIMO vero loco, ſcientia neceſſaria eſt, quæ ipſam illuſtret, ac dirigat in agendo prudentiam, prudentia enim, & ſcientia duo ſunt velut oculi, quibus humana vita dirigitur & illuſtratur. Neque enim aut ingenij lumen, aut naturalis prudentia, per ſe ſola ſufficiunt, ad humanarum actionum regulam cõſtituendam: quæ non legibus naturæ ſolum, ſed etiam diuini, & humani iuris ſanctionibus inſtituenda eſt. Recte enim Cicero, Vt ager, inquit, quamuis natura fertilis, ſine cultura fructuoſus eſſe nõ poteſt, ſic neq; ſine doctrina animus. Vnde merito illa ſentẽtia commendatur,

Duplum quàm alij vident, qui litteras didicerunt. Denique Lactantius duabus rebus, totius christianæ philosophiæ, summam credidit contineri, virtute scilicet, & scientia. ait enim, Duo sunt, quæ simul efficiũt illud, quòd quæritur: scientia id præstat, vt quomodo & quo perueniendum sit, nouerimus: virtus, vt perueniamus: alterum sine altero nihil valet. Quæ quidem sententia, non ad episcopos modo, sed in vniuersum ad omnes homines pertinet, quicumque rectè vitam suam instituere volent. Qualis enim sine doctrina hominum vita esse poterit, a qua, post diuinam gratiam, opemq; cælestem, omnia ad bene viuendum lumina, præsidiaq; petenda sunt? Merito enim

Cicero 5. Tusc. Cicero sub philosophiæ nomine, in eius laudẽ exclamat dicẽs, O vitæ philosophia dux, o virtutis indagatrix, expultrixq; vitiorum, quid non modo nos, sed omnino vita hominum sine te, esse potuisset? Tu vrbes peperisti, tu dissipatos homines, in societatem vitæ conuocasti, tu eos inter se primo domicilijs, deinde coniugijs, tum litterarum, & vocum communione, iunxisti: tu inuentrix legum, tu magistra morum, & disciplinæ fuisti: tu vitæ tranquillitatem largita nobis es, & terrorem mortis sustulisti. Denique rogatus ipse summus inter philosophos Socrates, quod ei animal pulcherrimum videretur, Homo, inquit, scientia exornatus.

natus. nulla enim fortuna eſt, quàmlibet humilis & abiecta, quæ doctrinæ ſplendore, atq; ornatu non fiat illuſtrior. Quòd ſi infimæ ſortis hominibus, tãtum doctrina ſplendoris addit, quid eis præſtabit, qui in excelſo conſtituti, viuendi leges, atq; iura ceteris præſcribunt? Quis ergo nõ videat, quanto his doctrina magis neceſſaria ſit? In litteris enim (ait Chryſologus) prudens inuenit, vnde ſapientior fiat: ibi bellator reperit, vnde animi virtute roboretur; inde princeps accipit, quò populos ſub æqualitate componat; nec aliqua in mundo poteſt eſſe fortuna, quam litterarum non augeat glorioſa notitia. ¶ Quòd ſi in omni fortuna (in ea præſertim, quæ ſublimior eſt) adeò laudabilis, & neceſſaria eſſe ſcientia perhibetur, quanto in epiſcopo laudabilior, qui oculus mundi eſt, & velut Sol quidam in eccleſiæ cælo reſidens, qui ignorantię noctem ab hominum mentibus depellat? Neque mirum eſt, ſi eccleſiæ ſolem epiſcopum appellemus: quando ipſe dominus, & lucernam ſuper candelabrum poſitam, & lucem mundi epiſcopos appellauit dicens, Vos eſtis lux mundi. Quemadmodum ergo Solem, ceteraq; luminaria initio mundi deus in firmamento poſuit, vt lucerent ſuper terram: ita in firmamento eccleſiæ epiſcopos quidem tamquam Soles, alios verò doctores, tamquam cetera luminaria, & ſidera, ad illu-

Chryſologus in Epiſt. quadam.

Matth. 5.

Gene. 1.

ad illuminandas mentes hominum designa-
uit: vt lucem quam ipsi a deo receperunt, alijs
impartiantur. Ita enim diuina sapietia cuncta
disposuit, vt infima dirigat, gubernetq; per me
dia. Et in supremo quidē rerum cardine deus
est, in imo autem populus, medius vero atque
sequester (vt alter Moyses) episcopus est, qui
Deut. 5. locum illius tenet, qui dei, & hominum me-
diator pro nobis factus est. ¶Si ergo ad episco-
pum pertinet alios erudire, quomodo id, si
doctrina careat, præstare poterit? Sicut enim
fieri non potest, vt Sol illuminet, si obscurus
sit, & caliginosus: ita neque doctoris munere
perfungi is poterit, qui ignorantiæ tenebris
inuolutus fuerit, atque demersus. Quòd si
ita sit, quid ex hoc consequi necesse est, nisi id
Matth. 6. quod Saluator ait, Si lumen quod in te est, te-
nebræ sint, ipsæ tenebræ quantæ erunt? Hac er
go de causa apostolus Petrus iam moriturus,
Clementem sanctissimum virum, & in omni
ecclesiastica disciplina eruditum, pro se in ec-
clesiæ pastorem suffecit: iussitq; vt idem Cle-
mens, hoc ipsum Iacobo fratri domini, & Hie
rosolymorum episcopo litteris significaret.
Nec verearis (inquit) ne forte multum de meo
exitu contristandus sit, cum id me pro pietate
sustinere non ambigat. Erit autem ei grande
solatium, si didicerit quòd post me non impe-
ritus aliquis, aut indoctus, aut ignorans diui-
ni verbi

ni verbi mysterium, & ecclesiastici ordinis disciplinam, vel doctrinæ regulam nesciens, susceperit cathedram meã. Scit enim, quia si indoctus, & inscius officium doctoris accipiat, sine dubio discipuli, & auditores ignorantiæ tenebris obuoluti, in interitum demergentur. Hactenus verba Petri, quæ Clemens ipse in epistola ad Iacobum fratrem domini refert: per quæ liquido constat, quantopere animarum curam habenti necessaria doctrina sit. *To. 1. Cõcil. fo. 33*

¶ Quid enim est in officio pastorali, quod eius luce, & splendore non indigeat? Nam & ad diudicanda dognata fidei, & ad lites ecclesiæ dirimendas, & ad populum instituendum, & ad quæstiones in rebus ambiguis dissoluendas, ac deniq; ad discernendum inter lepram, & non lepram, ita scientia necessaria est, vt absque ea nihil magis possit definire, quàm si oculis captus, vellet de coloribus iudicare. Quocirca dominus, Leuitas olim a cetera populi turba separauit: quos ad ministeriũ templi, studiumq; diuinarum legum, relictis omnibus humanæ vitæ negotijs, destinauit: vt huic studio semper intenti discerent, quòd postea rudi populo traderent. Quod cùm alij reges, tum maximè sanctus Iosaphat diligentissimè curauit; qui sacerdotes, & leuitas per oẽs regni sui ciuitates dispersit: qui librum legis in manibus tenentes, homines instituerent, & *Nume. 8.* *2. Pa. 19.*

ad diuina præcepta informarent. Quod exemplum catholica ecclesia imitata, in cõcilio carthaginensi 4. instituit, vt episcopi alia quidem per alios officia ministrarent, ipsi verò studio diuinæ legis, orationi, & prædicationi ab omnibus alijs negotijs feriati, se totos addicerẽt. Denique quàm necessaria sit in episcopo scientia, atque doctrina, defectus eius apertè declarat. maximum enim bonum esse necesse est, cuius sit defectus maximum malum. Quale vero sit hoc malũ, apertè indicat Esaias propheta, qui inter maximas populi calamitates, hanc enumerat, quòd dominus auferat a iuda & Hierusalem senem, & consiliarium, & prudentem eloquij mystici. Cùm enim dominus ciuitatem illam, & regnum propter neglectam religionem, & virtutem demolliri vellet, abstulit prius fundamenta, atq; columnas omnes, quibus ciuitatis, & regni salus nitebatur. Columnæ autem erant consiliarij, & prudentes eloquij mystici; quibus sublatis, cum religione & prudẽtia, ciuitas pariter esset interitura. Sublato enim doctore atq; doctrina, neq; fides, neq; religio, neq; iustitia, neq; vllum in ciuitate præsidium, siue diuinum, siue humanum reliquum erat. Satis igitur demõstratum esse puto, quàm magna ecclesiæ calamitas sit sacerdotum ignorantia. Quo circa summa ratione in sacra tridentina synodo decretum fuit, ne quis

Esaiæ 3.

ad cathedram eccleſiæ deligeretur, qui non eſſet ſacris, aut canonicis litteris ita imbutus, vt vel iam doctor laureatus, vel doctoris laurea dignus eſſet. Alioquin merito dominus quereretur id, quod olim per prophetam conquæſtus eſt, Tenentes legem neſcierunt me, & paſtores præuaricati ſunt in me. *Hiere. 2.* Terrenis enim cupiditatibus, & negotijs implicati, qui legē domini ſcire, atq; docere debuerunt, vtramq; curam cum diſcendi, tum docēdi abiecerunt. quo quid eſſe poteſt indignius? Ridiculoſa (ait ſanctus quidam) res eſt, vel potius periculoſa, ſpeculator cæcus, doctor inſcius, præcurſor claudus, prælatus negligens, & præco mutus. Sed quoniam ab Apoſtolo didicimus, quòd ſcientia inflat (non quidem ſuo, ſed hominum vitio, qui bonis ſæpe rebus ad perniciem abutuntur) ideò danda opera eſt, vt hæc ipſa ſcientia, humilitatis virtute condiatur, ne turgeſcat faſtu, & eā habenti noceat, quod alijs præſidio eſſe ſolet, & ſaluti. *1. cor. 8.* Id quod D. Gregorius admonet his verbis, Summa cura prouidendū eſt, ne accepta ſapientia, cùm ignorantiæ tenebras illuminat, lumen humilitatis tollat: & iam ſapientia eſſe nequeat; quæ & ſi locutionis virtute fulgeat, elationis tamen velamine cor loquentis obſcuret. *Grego. in Moral.* Denique vera, & ſalutaris ſcientia, nō faſtum, ſed dolorem nobis ingenerare debere prædixit Salomon, cum ait,

Qui addit ſcientiam, áddit & dolorem. Habet enim ſapiens oculos, quibus veras rerum facies agnoſcat: datq; ſemper operã, ne falſa boni ſpecie fallatur. Plurima enim ſunt, quæ (vt eleganter poeta quidam dixit) geminas habent facies: foris alba, ſed intus nigra: ſuo fallunt oculos ſpectata colore. Cùm ergo vir ſapiens, non fallaci rerum ſpecie ducatur, intelligatq; omnia ferè, quæ oculis conſpiciuntur, fucata eſſe, atq; fallacia, & (inſtar libri illius, quem

Apo. 10. Iohannes in Apocalypſi, Angelo tradẽte vorauit) in ore quidem dulcia, ſed in ventre paulo poſt amara eſſe: nihilĩ rebus humanis videtur, quod non Heracliti lachrymis proſequatur: quòd non funeſtum, fragile, calamitoſum, & miſeratione dignum deprehendat. Hinc eſt,

Grego. in Moral. quòd D. Gregorius ait, Vera ſcientia afficit, non extollit; nec ſuperbientes quos impleuerit, ſed lamentantes facit: qua quiſque cùm repletus fuerit, priori loco ſe ſcire apperit: & iam ſuis conſcius, tanto per illam robuſtius ſapit, quanto ſe infirmum in illa verius recognoſcit. Hæ ſunt, partes ampl. gemmæ, & margaritæ pretioſiſſimæ, quæ in ornatu pontificis pręcipue nitere debent, quę illum coram deo, & hominibus ornatiſſimum faciunt. Quibus ſi nobilitas, & generis ſplendor acceſſerit, adeò miniſterium hoc abſoluitur, vt nihil in eo deſiderari poſſe amplius videatur. omnes

enim hæ virtutes, ipſa nobilitate, neſcio quo pacto nobilitantur. Si enim poetæ dicere licuit, quòd gratior erat pulchro veniens in corpore virtus; quanto ea erit illuſtrior, ſi cum maiorum gloria, generisq; claritate iungatur? Neque illuſtrior modo, ſed potentior etiam, atque ad eccleſiæ commoditatem vtilior? Sic enim Salomon ait, Vtilior eſt ſapientia cum diuitijs: & plus prodeſt videntibus Solem. Sicut enim protegit ſapientia, ſic protegit pecunia. *Eccleſ. 7.* Quod etiam eleganter ingenioſus poeta ſignificauit dicens, Haud facile emergunt, quorum virtutibus obſtat res anguſta domi. Conſtat igitur plurimum acceſſionis fieri his virtutibus, ſi ad eas, & potentia, & nobilitas acceſſerint, quæ facultatis plurimum ad res gerendas, & auctoritatis ad potentiũ vim reprimendam conferre ſolet. Ceterum exiſtimare ſolam nobilitatem, ad hoc tantũ munus pro dignitate obeundũ, ſufficere, & in illa rerum oĩum ſummam collocare, eorum eſt, qui vitã omnem in otio, luxu, atq; deſidia traduxerũt, nec vllis virtutũ, aut litterarũ ſtudijs animũ excoluerunt: quos Cleantes phũs inſignis, vna tantũ forma a brutis differre dicebat: ideoq; cũ his clariſſimis ornamẽtis deſtituti ſint, ad vnam nobilitatem, gratis omnia referenda eſſe arbitrantur.

VI.

CETERVM quoniam hæc generaliter dicta *De præcipuis Epi-*

Episcoporum officiis, & primum de officio concionandi.

dicta sunt, nec satis episcopi vitam describũt, quæ suas habet actiones, quibus potissimum nititur, dabitis mihi, patres amplissimi, veniã, si quæ præcipua eius officia sint, paucis attigero. Scitis enim in doctrina ea, quæ de moribus est, generales canones, nisi ad specialia descendas, parum esse vtiles audientibus. Ex his igitur virtutibus, quas hactenus commemorauimus, tamquam ex fontibus, omnia officiorum genera, quę ad episcopi munus pertinent (quæ & multa & varia sunt) hauriuntur. Nec enim tantarum rerum momenta, quibus animarum salus, & æterna vita continetur, sine maximarum, & pulcherrimarũ virtutum officijs sustentari possunt. Inter quæ, primum ac principem locum, sibi vendicat munus cõcionandi: hoc est, mentes hominum densissimis ignorantiæ tenebris oppressas, illuminandi, & diuinis legibus informandi. Hoc inquam pręcipuum episcoporum munus est. quemadmodum enim in cælesti illa hierarchia, superiores angeli illuminant inferiores: ita in ecclesiastica, episcopi (qui in supremo ecclesiæ cardine constituti sunt) ceteros illuminare, diuinis legibus informare, a vitijs ad virtutem auocare, & continenter tamquam dominici gregis canes aduersus lupos, & tetra ac funesta vitia, oblatrare debent. ¶ Quali vero vinculo ad hoc episcopi astringantur, apertissima similitudine do-

ne dominus apud Ezechielem indicat dicens, Terra cum induxero super eam gladium, & tulerit populus terræ virum vnum de nouissimis suis, & constituerit eum super se speculatorem; & ille viderit gladium veniẽtem super terram, & cecinerit buccina, & annuntiauerit populo: audiens autem quisquis ille est sonitum buccinæ, si non se obseruauerit, veneritq; gladius, & tulerit eum, sanguis ipsius super caput eius erit. Sonum buccinæ audiuit, & non se obseruauit, sanguis eius in ipso erit: si autẽ se custodierit, animam suam saluabit. Quòd si speculator viderit gladium venientem, & non insonuerit buccina, & populus non se custodierit: veneritq; gladius, & tulerit de eis animam: ille quidem in iniquitate sua captus est, sanguinem autem eius de manu speculatoris requiram. Et tu fili hominis, speculatorẽ dedi te domui Israel: audies ergo ex ore meo sermonem, & annuntiabis eis ex me. si me dicente ad impium, Impie, morte morieris, non fueris locutus, vt se custodiat impius a via sua: ipse in iniquitate sua morietur: sanguinem autem eius, de manu tua requiram. Hactenus verba domini sunt. In quibus videtis, patres, quali vinculo astricti sitis ad hominũ scelera, & flagitia obiurganda: hominesq; de salutis suæ periculis admonendos. Quibus verbis, quid quæso dici potuit terribilius? quis ad hoc pericu-

Eze. 33.

lum

lum non expallescat? quis in dignitatis huius specula constitutus, (quamuis innocentissimè viuat) de salute sua se omnino putet esse securum, cui aliena etiam crimina timenda sint? Et cùm omnes in hac vita in summis periculis
Iob. 7. agamus (quæ tota, vel tentatio, vel militia esse perhibetur) in quantis quæso periculis versabitur, qui non de vna solum anima, sed de tot animarum gregibus rationem redditurus est? Dormiebant quidem apostoli ceteri, instante
Mar. 14. domini passione, vnum tamen Petrum, dominus arguit dicens, Simon dormis? Aliorum enim somnus Petro imputatur; quippe qui in tanto fidei, rerumq; omnium discrimine, non vigilare modo, sed alios etiam ad vigilandum cohortari debuisset. Nam si ciuilibus legibus æquissimo iure constitutum est, vt si nauis aliqua gubernatoris ignauia naufragiū faciat, omnis ab illo mercium, personarumque iactura seuerissimè exigatur, culpa nè episcopos vacare arbitrabimur, si animæ illorum fidei commissæ, ipsorum culpa, ac negligentia pereant? Quare vsque adeò populus, & sacerdos inter se coniuncti sunt, & colligati, vt vix flagitium aliquod in populo reperiatur, quod in eum, qui populi curam gerit, non aliqua ra-
Chrys. in Tractatu de Symb. tione conijci possit. Id quod D. Chrysostomus apertissima similitudine explicat, in hunc modum, Quemadmodū vidēs arborem folijs pal-

lentibus marcidam, intelligis vitium aliquod in radice latere: ita cum videris populum indi sciplinatũ, sine dubio intelliges sacerdotium eius non esse sanum. Quando etiam horologium dissolutum perperã designat horas, nemo culpam in solam operis fabricam conijcit, sed in eum maximè, cuius curæ cõmissum est: ita cũ ecclesia (quæ perfectissimi cuiusdam horologij ordinem imitari debuisset) temerè agitur, culpa omnis non modo in populũ peccantem, sed etiã in populi rectorẽ conferenda est. Hinc etiam est, quòd tãta illa Hierosolymitana ruina, Caldæorũ furore edita, principibus populi ab Hieremia propheta attributa est: quorum erat religiónẽ tueri, numen infensum plãcare, & a sceleribus populũ deducere, & reuocare. Sic. n. propheta ait, Prophetæ tui viderũt tibi falsa, & stulta, & nõ aperiebant tibi iniquitatẽ tuã, vt te ad pœnitentiam prouocarẽt. Quo factũ est, vt sublata pœnitentia, qua & peccata redimenda, & deus erat placãdus, acrius in delinquẽtes sæuiret diuina iustitia. Id quod vitio contingit speculatorum; qui cũ impendentem calamitatem prospicere, & populũ instãtis periculi admonere debuissent, officio suo defuerũt: ideoq; illarum oĩum impietatũ quas calcare debuerãt, participes facti sunt. Sic enim D. Greg. ait, Faciẽtis proculdubio culpam habet, qui quod potest corrigere, negligit emendare: & nihil

Thren. 2.

& nihil prodest non puniri suo, qui puniendus est alieno peccato. Idipsum etiam testatur
Prosper de uit. cõtempla. Prosper his verbis; Ille cui dispẽsatio commissa est, etiam si sanctè viuat; si tamẽ perditè viuentes arguere, aut erubescit, aut metuit cum omnibus, qui eo tacẽte perierunt, perit. Videtis, patres ampl. quo vinculo ad correptionis, & prædicationis officium episcopi astringantur. Quòd si ita est, quid de illis quæso censendum erit, qui in alios hac sarcina transmissa; huic se penitus officio subtrahũt? Quid igitur hi respondere poterunt, cum ab eis dominus, cõmissi, & tamen amissi, tã pretiosi depositi rationem, propheticis illis verbis exigat dicens;
David. Vbi est grex, q̃ datus est tibi, pecus inclitũ tuũ?
33 Nec tamen soli ipsi populum erudire tenentur, sed coadiutores etiã huius ministerij, summa cura debent inquirere. Olim enim initio nascentis ecclesiæ, ita erat cura pastoralis officij distributa, vt vni ciuitati, aut etiã oppido, vnus episcopus præficeretur. pretiosissimum enim illud animarum depositũ, ecclesiæ fidei commissum, multis custodibus tutius asseruari posse arbitrabantur, quàm si vni tantum crederetur. At nunc mutata rerum conditione, vni plures ciuitates & innumera penè oppida, velut vni viro plures vxores, iunguntur. Cum vero ipse sit verus ecclesiæ magister, nec tot locis doctrinæ suæ copiã facere possit; nec

 paro-

parochos habeat, qui id vbiq; præſtare commode queant, reliquum eſt, vt quod plurimis olim epiſcopis committi debuerat, plurimis nunc epiſcoporum vicarijs comittatur: ne verbi diuini pabulo oues deſtitutæ, fame pereant. Vbi enim hæc cura neglecta eſt, paſſim videmus (quod ſine multis quidem lachrymis referri non poteſt) permultos homines ethnicorum, vel potius pecorum more vitam agentes, nihil minus quàm de futura vita, aut horrendo dei iudicio, aut æternis piorum, vel impiorum præmijs, vel ſupplicijs cogitare: adeo vt in paganiſmum quendã degeneraſſe videantur. Quorum lamentabilem ſortem, ipſe dominus, ac Saluator noſter miſeratus fuiſſe ſcribitur: quia erant (inquit) homines ſicut oues abſq; paſtore. Tales enim paſtores interdum habent, vt perinde ſit, ac nõ haberent. ¶Quanta vero ſit hæc calamitas, ſatis apertè declarauit antiſtes, & propheta domini Zacharias, qui ſpiritu dei afflatus, Aſſa regi ex cæde Æthiopũ, cum clariſſimo triumpho redeunti, occurrens dixit, Audi me Aſſa, & omnes viri iuda, Dominus vobiſcum, quia fuiſtis cum illo. ſi quęſieritis dominum, inuenietis eum: ſi autem dereliqueritis eum, derelinquet vos. Tranſibunt autem multi dies in iſrael abſq; deo vero, & abſq; lege, & abſq; ſacerdote doctore. Animaduertite quęſo, quanta ſit calamitas, ca-

Mar. 6.

2. Par. 15

rere magistro atq; doctore. Cum enim nulla calamitas maior excogitari possit, quàm sine deo in hac vita esse (qua gentiles oppressos fuisse Apost. testatur) quos sine deo fuisse in hoc mū-
Ephe. 2. do commemorat, cum illa tamē Zacharias cōiungit, eiq; veluti parem facit, tali sacerdote carere, qui doctoris munere perfungatur. Adeo enim hęc duo connexa sunt & colligata, vt alterum ex altero consequatur. Quis enim mihi deum annuntiabit, si deest denuntiator
Rom. 10. sacerdos? Quomodo enim (inquit Apostolus) inuocabunt in quem nō crediderunt? aut quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo vero audient sine prædicante? ¶ Quam etiam calamitatem satis supplicium illud exaggerat, quod dominus ipse per prophetam mi-
Amos. 8. natur dicens, se missurum famem, non famem panis aut sitim aquæ, sed famem audiendi verbi dei. Quæ ergo sterilitas deflenda magis est, quàm ea, quę animabus verbi dei pabulū adimit? Lamentatur Ioel propheta (idemq; pastor ouium) sterilitatem, famemq; pecorum,
Ioel. 1. dicens, Ad te domine clamabo: quia ignis comedit speciosa deserti, & flamma succendit omnia ligna regionis: Sed & bestiæ agri, velut area sitiens imbrem suspexerunt ad te: quia exiccati sunt omnes fontes aquarum. Si ergo tanta miseratione propheta sterilitatem, siccitatemq; deserti, propter peccata hominum im-

missam prosequitur (quo fiebat vt pecora fame, & siti conficerentur) quis quæso digne lamentabitur, tot castella, tot oppida, tot deniq; hominũ greges sparsim per agros, & rura degentes, fame confici: in quibus aquarum cælestium fontes exsiccati, & spiritualis doctrinę gramina, pene exusta sunt; quibus inclitum pecus pretiosissimo agni sanguine redemptum, alendum erat? Si vero tam acerbo luctu plangit Ieremias, quod paruuli petierint panem, nec esset qui frangeret eis; quo putas dolore plangendum esse, quod rationales oues pabula cælestis vitæ exquirant, nec accipiant: cum tamen ad ea comparanda, sibi interdum filijsq; suis victum adimant, dum multo labore parta, & quæsita bona, ecclesię ministris offerunt: a quibus tamen vicissim pabula non accipiunt; corporalia sua seminantes, nec tamen spiritualia metentes? O miserandam temporum commutationem. initio quidem nascentis ecclesiæ gratis apostoli euangelizantes, cum fere nihil a populis acciperet, omni genere cælestium diuitiarum eos locupletabant: modo contra, cum tam magnos episcopi redditus accipiat, vix quibus sibi creditis, vitæ pabula subministrant. Quorsum ergo ecclesia, tam ampla stipendia sacerdotibus designauit; vt quod multos olim episcopos alere potuisset, vnus modo possideat, nisi vt

Lam. 4.

omnium vices suppleat, qui omnium stipendia solus percipit? Nam si ius, si ratio, si sacra concilia, si sancti patres, si ipsa sublimitas & perfectio episcopalis ordinis exigit, vt episcopi domus, familia, & mensa frugalia sint, & honesto apparatu, non luxu commendata, cur tot aureorum millia vni episcopo, frugaliter secundum ecclesiæ canones victuro, destinantur; nisi vt habeat quę in necessitates pauperum, & in hos pios, ac necessarios vsus possit impendere? Quam quæso principi pastorum Christo rationem, de sibi commissis ouibus reddet, quæ ipso vel dormiente, vel negligente fame pereunt; nisi forte ita desipimus, vt arbitremur, satis iusta causa, ouium iacturam excusari posse, si pastor desidia torpens, id ignoret? Qua fronte ante illum pastorem, qui tam charas habuit oues suas, vt non dubitauerit pro ipsis sanguinem fundere, & seipsum illis in cibum præbere, is apparebit, qui neq; terrenas
Iohan.10. quidem opes, quibus verbi dei ministros alere posset, pro illarum salute effundit? Quòd si bonus, & legitimus pastor animam debet ponere pro ouibus suis, quomodo hoc nomine dignus erit, qui pro eis neq; pecuniam ponit?
Grego. in Homil. Cum enim (vt ait Gregor.) incomparabiliter maior sit anima, qua viuimus, terrena substantia, quam possidemus; qui non dat pro ouibus substantiam suam, quomodo pro eis daturus

est

est animam suam? Deniq; contra hos ipsos pastores, terribiliter intonat dominus per Ezechielem dicens, Vę pastoribus israel qui pascebant semetipsos. nonne greges a pastoribus pascuntur? Lac comedebatis, & lanis operiebamini; & quod crassum erat occidebatis: gregem autem meum non pascebatis, quod infirmum fuit non consolidastis, & quod ægrotum non sanastis; quod confractum est non alligastis, & quod abiectum est non reduxistis, & quod perierat non quæsistis: sed cum austeritate imperabatis eis, & cum potentia. Et dispersæ sunt oues meæ, eo quòd non esset pastor: & factæ sunt in deuorationem omnium bestiarum agri; & dispersæ sunt. Errauerunt greges mei in cunctis montibus, & in vniuerso colle excelso, & super omnem faciem terræ dispersi sunt greges mei: & non erat qui requireret, non erat inquam qui requireret. Quę verborum conduplicatio, magnam quandam doloris vim innuere videtur, & quàm sit domino ingrata, atq; molesta ouium illa inofficiosa, & inhumana derelictio; aperte demonstrat. Quo vero miserabilior ouium causa est, eo grauior & inexcusabilior pastorum culpa existit: ad quos protinus dominus per eundē Prophetam clamat, Ecce ego (inquit) ipse super pastores requiram gregem meum, de manu eorum, & cessare eos faciam, vt vltra non

Ezec. 34.

Ezec. 34.

pascant gregem; nec pascant amplius pastores semetipsos; & liberabo gregem meum de manu eorum, & non erit vltra eis in escam. Verum de ratione docendi satis: facile enim ex his omnibus patere credo, qua lege tū per se, tum per alios gregem domini verbo pascere, atq; doctrina, episcopi astringantur.

VII.

Exéplar probitatis Episcopus. NEC tamen satis est verbo pascere, nisi multo magis pascant exemplo. Longum enim interest per verba; breue & efficax per exēpla. Verba enim certis temporibus, certa quædam dogmata docent, vita vero immaculata omnia genera virtutum omni tempore prædicat: nec solum prædicat, sed omnes etiam ad imitandum prouocat, & viā quam ingrediantur ostē- dit, & in ea se comitem præbet. Deniq; homi- *Lactantius.* nes (ait Lactantius) malunt exempla, quàm verba: quia loqui facile est, præstare vero difficile: quantoq; alterum altero difficilius est, tanto vtilius atq; pręstantius. Vnde grauissime & prudentissime Seneca dixit; Eum elige doctorem, quē magis admireris cum videris, quàm cum audieris: cuius videlicet quamuis sit admirabilis eloquentia, mirabilior tamen sit ipsa vita: atq; ita potentius ad virtutem trahat homines cum videtur, quàm cum auditur. Talis ergo debet esse vita pastoris, quam diuus *Hierony.* Hieronymus depinxit his verbis, Ea debet esse

conuer-

conuersatio, & eruditio pontificis, vt omnes motus & gressus, & vniuersa eius opera notabilia sint. Veritatem mente concipiat, & eam toto habitu resonet, & ornetur: vt quicquid agit, quicquid loquitur, doctrina sit populorũ. Discant igitur (ait quidam) episcopi ab Abimelech subiectos, non tam dictis, quàm factis ad imitationem incitare. Ille quidem lignorũ fasces, & faciebat, & portabat: ac suis, Quemadmodum, inquit, vidistis me facientem, ita & vos facite. Virtutis enim species, pulcherrima est: & quę ipsa per se homines, nõ solũ ad amorem, sed etiam ad imitationem sui trahat. Quẽadmodũ enim (vt Greg. Nysse. ait) fragrantia aromata suo odore circũfusum aerem cõplẽt; sic boni viri præsentia proximos iuuat. Hac vero inęstimabili virtutum fragrantia, totum ad se mundum Apostoli allexerunt, qui verè dicere potuerunt, Christi bonus odor sumus deo. Nihil enim in rebus humanis virtute, aut fragrantius aut suauius; si quis sensum habeat, ad eiusmodi suauitatem percipiendam. Sic planè fragrauit Apostolus Paulus, qui de seipso ita dicit. De cętero fratres, quæcunque sunt vera, quæcunque pudica, quæcumque iusta, quæcumque sancta, siqua virtus, siqua laus disciplinæ, hæc cogitate: quæ & didicistis, & accepistis, & audistis, & vidistis in me. Vides ergo illum non modo verbo, sed multo magis

Iudicũ. 9.

Gre. nyss.

2. cor. 2.

1. cor. 2.

exemplo, non aures tantum, sed oculos etiam intuentium, virtutum suarum splendore docuisse? Hoc est autem, quod pastoribus dominus potissimum commendauit dicens, Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrũ, qui in cælis est. Ea enim sanctitate, atq; firmitudine animi pollere debet episcopus, vt etiam cùm laudabiliter operatur, nec laudari appetat, neq; timeat: neq; inanis gloriæ periculum ita vereatur, vt à publicis virtutum officijs abstineat. Deniq; ita operari debet, quemadmodum diuus Gregorius præscribit dicens, Sic sit opus in publico, quatenus intentio maneat in occulto: vt & de bono opere proximis præbeamus exemplum, & tamen per intentionem (qua soli deo placere quærimus) semper optemus secretum. ¶ Habet autem hæc docendi ratio, vim quandam admirabilem, ad animos hominum studijs virtutum inflammandos. Deuotus enim miles (vt Bernardus ait) non sentit sua, cùm benigni ducis contuetur vulnera. Propter quod strenuissimus ille dux Iulius cæsar (vt Cicero auctor est) numquam militibus dixisse fertur, ite illuc, sed venite huc. Participatus enim cum duce labor, persuadetur militibus minor. Hinc diuus Cyprianus Cornelium pontificem laudat, quòd exemplo suo populum sibi subiectum, ad fidei confes-

Mat. 5.

Gregor.

Bernar.

sionem incitauerit. Dum præcedis (inquit) *Cypria. in Epist. ad Cornel.* ad gloriam, multos feceris gloriæ comites: & confessorum populum suaseris fieri, dum primus paratus es pro omnibus cõfiteri. Deniq; tantum valet optimi principis exemplum, vt historiæ proditum sit, nobilem quandam ciuitatem in Phrygia, quæ publicè & magno ciuium consensu Christi fidem profitebatur, cũ tempore Diocletiani, nulla ratione abduci potuerit, vt commentitios deos adoraret, obsessa ab impiorum exercitu, vniuersa sine vllo sexus, aut ætatis discrimine incenditur: tanta impiorum crudelitate, vt nullus omnino ciuis huius vrbis calamitati superfuerit. Cuius beati numerosiq; martyrij auctor, & dux extitit pietate, & religione, magnitudineq; animi clarus Audactus italus natione. Huius enim in confessione Christi, constantiam omnis populus sequutus est; eoq; duce clarissimi martyrij palmam adeptus. Quid quæso hic nuda verba sine huius, tam magnificę virtutis exemplo potuissent? Videtis ergo, patres, quanto maiorẽ vim ad persuadendum habeāt exempla, quàm verba? ¶ Ceterum quemadmodum bonorum nos pastorum exempla, tam potenter ad virtutem alliciunt, ita contra malorum, longè potentius ad malum trahunt: natura enim nostra (vbi per peccatum lapsa est) ad vitia quàm ad virtutes procliuior existit, nihil enim (ait quidam)

quidam) tam facile discimus, quàm turpitudine; & nihil tam difficile dedidicimus. Ideoq; (vt Greg. ait) nemo in ecclesia magis nocet, quàm qui peruersè viuens, nomen aut gradu sanctitatis tenet. Hinc Augustinus, Omnis qui male viuit in conspectu eorum, quibus præpositus est; quantum in ipso est occidit: & forte qui imitatur, moritur, qui non imitatur, viuit: tamen quantum ad illum pertinet, ambos occidit. Marcus etiam Tullius eadem de principe sęculari dicit, quæ ad ecclesiæ principes non minus pertinent: Nec solum (inquit) vitia concipiunt ipsi principes, sed ea infundunt in ciuitatem: neq; obsunt quòd solum ipsi corrumpuntur; sed etiam quòd corrumpunt, plusq; exemplo, quàm peccato nocent. Ecce quò iure teneatur episcopus, non modo verbis, sed etiā exemplis commissam sibi plebem erudire, & ab omni maleficio deterrere: ne tot animarum reus apud Deum sit, quot exemplo suo traxerit in ruinam.

Gregori. in Pasto. *Aug. lib. de Pasto.* *Cice. 3. de Legi.*

VIII.

Visitatio Episcopi.

SEQVITVR deinde aliud, non minus necessarium visitationis officium; quod multis nominibus, Pastoribus conuenit. Conuenit enim eis primum, quatenus prędicatores, & magistri ecclesiæ sunt. Prædicatores enim in sacro eloquio, modo per nubes, modo per fluuios, modo per quadrigas, & sacra illa animalia, quę

in spiritu vidit Ezechiel, designantur. Si ergo nubes sunt, debet vtiq; peruolare terras, quocumq; eas voluntas gubernantis circunduxerit. Si fluuij ab ecclesiæ paradiso profluentes, debet igitur varias terrarum oras, salutaribus vndis irrigare, vt fructum referant æternæ vitę: aliud quidem trigesimum, aliud sexagesimum, & aliud centesimũ. Si vero animalia sunt, rhedam euangelij trahentia, non ergo vno in loco consistere: sed terram omnem circumire, & cęlestes quas ferunt opes, omnibus exhibere debent. ¶ Idem etiam eis conuenit, quatenus pastores sunt: quibus præcipitur, vt diligenter agnoscant vultũ pecoris sui, suosq; greges considerent, vt videlicet earũ morbos, pericula, pabula, custodes, & cetera, q̃ illis necessaria sunt, diligenter prouideāt. Nec ad hoc sufficit quęcumq; confusa, & veluti perfunctoria, atq; per manus aliorum tradita cognitio. Ait enim ipse Saluator, Bonus pastor proprias oues vocat nominatim. per quod, non obscuram sed distinctam, & apertam cognitionem voluit significare. Adeo enim animabus pascendis, curandis, dirigendis, & ad æternæ satietatis pabula deducendis, intetus esse debet, vt nihil sit, quod modo ad hanc prouinciam pertineat, quod illi nō sit in conspectu, & velut in numerato positum. Ita enim intendere debet omnibus, quasi singulis, & ita singulis, quasi omnibus.

Ezech. 1.

Cice. 3. *de Legi.*

Iohan. 10

¶ Idem

¶ Idem etiam munus conuenit ei, qua ratione vices dei gerit in terra. Si enim rectè à Sapiente quoddam dictum eſt, regem animatam eſſe imaginem dei; quid de epiſcopo dici par eſt, qui ſempiterni illius numinis officium, atque perſonam in terris ſuſtinet? Quomodo vero ſe dominus ipſe, cũ gregibus ſuis gerat, per Eze-
Eze. 34. chielem nobis apertè inſinuauit dicens, Ecce ego ipſe requiram oues meas, & viſitabo eas: ſicut viſitat paſtor gregem ſuum in die, quãdo fuerit in medio ouium ſuarum diſſipatarum. quod perierat, requiram, & quod abiectum fuerat reducam, & quod confractum fuerat alligabo, & quod infirmum fuerat conſolidabo, & quod pingue & forte cuſtodiam, & paſcam illas in iudicio: hoc eſt, magna æquitate atque prudentia quidquid illis expedierit curabo. Quæ omnia pietatis officia, a ſummo illo ſempiternoq; paſtore Chriſto inuiſibiliter pręſtita, ſancti præſules dum eccleſias ſibi creditas ſanctè, & accuratè viſitant, prouidentiſſime exequuntur. Grex namq; vniuerſis inuiſitur, illius mores exquiruntur, baſilicæ reparantur, diſſidia componuntur, concubinarij caſtigantur, ludi legibus prohibiti profligantur, boni viri fouentur, mali corripiuntur, inopes ſubleuantur, vitia publica eliminãtur, & morbidæ oues (ne contagio ſuo cęteras inficiant) à reliquo grege ſeparantur. Hęc omnia ouibus beneficia

præſtat,

præſtat, boni paſtoris viſitatio. Paſtores vero officij huius immemores, grauiter dominus apud Zachariam his verbis increpat, Sume tibi vaſa paſtoris ſtulti: quia ecce ego ſuſcitabo paſtorem in terra, qui derelicta non viſitabit, diſperſum non quæret, contritum non ſanabit, & id quod ſtat non enutriet: carnes tantum pingium comedet, & vngulas eorum diuidet. O paſtor, & ydolum derelinquens gregem. Gladius ſuper humerum eius, & ſuper oculum dextrum eius: quia nimirum & virtus operandi, & lumen intelligendi ab eo tolletur: vt omnibus bene operandi præſidijs deſtitutus, in omnia malorum præcipitia ruat. Hunc paſtorem a Propheta hoc in loco deſcriptum, interpretes Antichriſtum eſſe aſſerunt. Quod ſi ita eſt, diligentiſſime ſanè paſtoribus prouidendum: ne in tantum dedecus incurrant, vt tam tetri, atq; deteſtandi paſtoris nomine iure notari poſſint. Neq; vero ſatis eſt, ſi vicaria miniſtrorum ſuorum opera (dum rectè valent) vtantur, cum ipſiſmet pręcipiatur, vt non ſegniter, ſed diligenter agnoſcant vultum pecoris ſui, & proprias oues vocent nominatim. ¶ Multa præterea paſſim in viſitationibus ſeſe offerunt, quæ non cuiuslibet miniſtri, ſed ipſius epiſcopi auctoritatem, dignitatem, poteſtatem, atq; opes interim requirũt: quę quoniam ſolitis maiora ſunt, maiori etiam

Zac. 11.

auctoritate tractanda, & componenda sunt. Quibus nullo modo deesse is potest, qui eam auctoritatem quam cum ex officio, tum etiam ex redditibus habet, ab ecclesia ideo accepit, ut in eius utilitatem commodumq; refundat.

§ Antiquum deniq; prouerbium est, heri oculo equum crassum maxime atq; pinguē reddi: & quod optimus fimus, sint vestigia domini; quæ quidem sententia facile indicat, quantum vtilitatis ouibus, ex hoc pastorali munere, & prouidētia prouenturum sit. Si enim nihil magis impinguat equum, quàm oculus & præsentia domini: nihil etiam magis impinguabit oues, quàm oculus & præsentia veri, & legitimi pastoris. Rectissime enim scriptum est, *Prou. 20.* Rex qui sedet in solio iudicij, dissipat omne malū intuitu suo: hoc est, maiestate & fulgore præsentiæ suæ. Quemadmodum enim matutinus lucis splendor nocturnas tenebras fugat, ita sancti pontificis præsentia, velut spiritualis quidam Sol, tenebras flagitiosorum & perditorum hominum, virtutis suæ fulgore depellit.

I X.

Seueritas & censura Epis. Post visitādi munus proximū erat, vt de ministrorum delectu habendo, iustitiaq; in distributione beneficiorū seruanda, diceremus: quæ sane cura & diligentia ad ecclesiam sanctè, religioseq; administrandam, illiusq; integritatem & splendorem tuendum, est imprimis neces-

cessaria. Sed quoniam de ea satis supra dictum est (cum de præstantia, ac dignitate ministrorum eligendorum disseruimus) ad aliam iustitiæ partem, quæ in flagitiosorum punitione sita est, Episcoposq; quam maxime decet, gradum faciamus.

Hoc enim vel maxime ad eos pertinet, vt partim publice, partim secrete: partim admonitionibus, partim etiam legitimis pœnis, vitia & clericorum, & laicorum insectentur. Alioqui timendum illud est, quod diuus Gregorius comminatur dicens, Qui proximi mala respiciunt, & tamen silentio linguam premunt, quasi conspectis vulneribus, vsum medicaminis subtrahūt: & eo mortis auctores fiunt, quo minus quem poterant curare, nolūt. Idem etiam in epistola quadam, Qui non corrigit, resecanda committit: & facientis culpam habet, qui quod potest corrigere, negligit emendare. Quę vero sit huius correptionis utilitas, ab eodem Gregorio explicatur his uerbis, Dum unus corripitur, plurimi emendantur: & melius est, ut propter multorum salutē unus condemnetur, quam ut per unius impunitatem multi periclitentur. Recte enim Cicero, In corpore, inquit, si quid eiusmodi est, quod reliquo corpori noceat, uri ac secari patimur, ut membrorum aliquod potius, quàm totum corpus intereat: sic in Reip.

Grego. in pasto.

Idem. in Regis.

Idem. in Regis.

Cicero.

corpore vt totum saluum sit, quicquid pestiferum est amputetur. § A quo tamen officio quosdam crudelis quędam miseratio, quosdã vero, aut maledicorum, aut potentium metus

Hierony. in Esai. reuocat. Ait enim Hieronymus super Esaiam, Vos enim depasti estis vineam &c. Reor hoç fuisse inter senes & principes veteris populi, quod inter presbyteros,& episcopos nostri tẽporis. Nostri ergo principes, cũ pauperes delinquentes publicè arguant & confundant, diuitibus peiora peccantibus, nec nutum quidẽ

Gregor. faciunt. Contra quos inclamat diuus Gregorius dicens, Si ab increpatione iccirco reticemus, quia contra nos derisoris odia insurgere formidamus, non iam dei lucra, sed nostra quærimus. Contra illos vero, qui crudeli miseratione abutentes, impunita mala relinquũt,

Chrysost. ita Chrys. ait, Iustitia sine misericordia, non est iustitia sed crudelitas: misericordia vero sine iustitia, non est misericordia sed fatuitas. Alterum ergo alteri miscendum est, & faciendũ quoddam ex vtroq; temperamentum: vt & iustitia sit clemens, & misericordia non remissa: id quod in ipsa consecratione episcopis iniungitur, cum ibidem eis præcipitur, vt in tranquillitate censuram æquitatis non deserant. Quę duo munera diuus Gregorius ita partitur, vt in pœnis quidem seueritas, in uerbis vero lenitas retineatur. Ait enim linguã quidẽ

esse

esse debere blandam, manum vero seueram: quo fit vt hac ratione vinum pariter, & oleum sauciati vulneribus infundatur. Id quod plenissime a D. Bernardo seruatum fuisse, declarant illa eius verba dicetis, Quantum ego com patiar, & si quid solatij posse impedere, quàm libenter id facerem, nouit ille quem nihil latet! Verum si de pœnarum diminutione solatium præbere voluero, crudelis, & immisericors ero: quantum enim subtraham de pœna, tantum de corona furabor: tantum defraudabo fructus, quantum de semente subtraxero: siquidem modica seminis detractio, non modicum est messis detrimentum.

Bernard. super Qui habitat.

X.

CETERVM si ita in episcopo iustitia fulgere debet, multo ergo magis misericordia, & quæ ab ea procedit eleemosyna: quæ sicut inter laudes dei prima est, ita etiam esse debet inter eius qui personam dei gerit in terra. Neque enim ideo solum oleo perunguntur episcopi, cum consecrantur, vt ad lucendum accensos, & ad palestram præparatos se esse intelligant: sed illa etiam fortasse de causa, vt misericordiæ, & lenitatis (quæ pontificum dignitatem maxime decet, & olei nomine in diuinis litteris sæpius designatur) admoneantur. Quæ quidem virtus in apostolis mirum in modũ semper enituit: qui simul, & animarum, & corpo

Eleemosyna, & misericordia episcopi.

rum pastores, pauperumq; patres esse voluerunt.
1.Co.10. Inter quos apostolus Paulus, qui sacramentorũ etiam ministeria alijs committebat, vt ipse totum sese in ministeriũ verbi traderet, ab hoc tamen beneficentiæ ministerio non abstinuit: sed seipsum cum socijs diligentissimum operarium præbuit: vt collectas viduis, & fratribus eleemosynas, perduceret in Hierusalem. Quid autem est quòd populi gratiam, & charitatem pastori magis conciliare possit, quàm liberalis beneficiorum, & eleemosynarum largitio? Id adeò verum est, vt nec euangelizandi officium, nec exempla virtutũ, nec ipsa etiam virtus miraculorum, ita amabilem, & commendabilem episcopum faciat, vt eleemosynarum liberalitas. Quod apertè ex ipsis domini verbis colligimus, ad Iudæos post conuiuium illud celeberrimum (in quo tot hominum millia, quinque panibus satiata sunt) di-
Iohan.6. centis, Amen dico vobis quæritis me, non quia vidistis signa: sed quia comedistis de panibus. Quid quæso vel mirabilius, vel magnificentius, vel maiori honore dignius, quàm signa illa ingentia, quæ filius dei edebat in mundo? At natura humana tanto se ipsam amore complectitur, suisq; commoditatibus vsque adeò intenta, & infixa est, vt omnibus signis, portentosisq; miraculis suas rationes antefe-rat: maiorisq; dominum beneuolentia, & ho-

nore

nore prosequatur, quòd populorum famem expleuerit, quàm quòd ingentia miracula ediderit. Hinc vulgata illa philosophi sententia, Amabile bonum, vnicuique autem proprium. Vnde manauit & illa, Qui beneficia inuenit, compedes inuenit: immo & aliquid compedibus maius. Vincula enim hæc pedes tantum ligant, beneficia vero non modo corpus, sed etiam mentem, animum, atque præcordia ipsa nexibus charitatis vinciũt. Propter quod Salomon ait, Victoriam & honorem accipiet, *Prou. 22.* qui dat munera: animam autem aufert accipientium. § Quid, quòd liberalitas non solum honorem, & beneuolentiam, sed virtutis, & sanctitatis opinionem parit? Vulgus enim vtilitatis suæ studiosus, non alios putat esse bonos, quàm beneficos. Quo factum est vt apud Hebræos eadem vox, & sanctos significet, & beneficos, adeo alterum alteri vicinum esse putatur. Denique celebratũr & illa sententia, Liberalitate teguntur vitia, auaritia, nudantur. Sed quid miramur, si vulgus beneficentia sanctitatem definiat, cum eadem etiam definiat diuinitatem? Quot enim homines olim in deos imperitum vulgus retulit, quia benefici, & salutares hoĩbus fuerunt? § Et quidem mihi non postrema hæc causa fuisse videtur, cur tantopere episcopis eleemosynarũ largitio commendaretur, quòd per eam potissi-

mum, & popularium suorum beneuolentiam, & probitatis opinionem (sibi maximè necessariam) conciliarent: qua illorum amicos, & ad obediendum alacriores, & ad imitandū promptiores, & ad doctrinam percipiendam paratiores redderent. Quam enim oratores initio dicendi beneuolētiam verbis aucupari nituntur, hanc episcopi (qui ecclesię doctores, atque magistri sunt) non verbis compositis, sed beneficijs, & eleemosynis sibi conciliare debent. Quare, quemadmodum eiusdem artificis est, & ferrum igne mollire, & in quam volueris figuram transformare (alterum enim sine altero fieri nequit) ita eiusdem ministri est, & populum præceptis instituere, & animos eorum liberalitate ad audiendum præparare. Neque enim tantum ignis vis, & efficacia valet, ad ferri duritiem molliendam, quantum beneficia ad hominum animos commutandos, atq; omni ratione flectendos. ¶ Verum non hæc sola causa episcopos ad misericordiam incitare debet, sed illa etiā quòd ad hoc potissimum tam amplos ab ecclesia redditus acceperunt, non vt cum principibus, & potētibus sæculi fastu, & luxu certarent, sed vt inopum, ac viduarum miserijs subuenirent, & pauperum patres essent: vtpotè qui illius personam gerunt, qui pater appellatur orphanorū, & iudex viduarum. Quod munus ecclesia ab apostolis deriuatum

patrum fidelissime retinuit, eo etiam tempore, quo misere a tyrannis exagitata, tenuissimo pa trimonio alebatur. Tempore enim Cypriani (quamuis crudelissima in christianum nomen persequutio sæuiret, qua & ipse Cyprianus, & Cornelius pontifex maximus, multiq; alij glo rioso occubuere martyrio) ecclesia tamen pau peres, atq; viduas non paruis sumptibus ale- bat, vt ex epistolis eiusdem Cypriani facile li- quet. Rogatus enim per epistolam, liceret nè homini christiano mimū agere, vt hac arte vi- ueret, respōdit: nequaquam id ad grauitatem, & dignitatē christiani nōinis conuenire: quod si is mimus nō haberet vnde viueret, transiret ad ecclesiam suam, ibidem victum cum alijs eiusdem inopię consortibus accepturus: si mo do cibis innocentibus contentus esse vellet. Nunc autem cum ecclesia opibus fidelium, nō sibi solum, sed etiam indigentibus ditior facta sit, merito ij conquerebuntur, illud D. Bernar. obijcientes, Clamant nudi, clamant famelici, conqueruntur, & dicunt, Dicite pontifices, in sacro quid facit aurum? Numquid a sacro ex- pellit frigus, aut famem? Nostrū est quicquid expenditis: a nobis extrahitur crudeliter, quod consumitis inaniter. Et per eundē Bernardum ad quendam canonicum, Conceditur tibi si al tare seruias, vt de altari viuas; non tamen quod emas frena deargentata, grisea, variaq; *Bernar. in epistola.*

pellicea: Quicquid ergo præter necessariũ, victum, & vestitum de altario retines, tuũ non est, rapina est, sacrilegium est. Quibus verbis quid acrius dici potuit? Idem etiam penè Hieronymus his verbis, Præter victum, & vestitum, & manifestas necessitates, nihil cuiquam tribuas, ne filiorũ panes canes comedãt. Idem etiam super illud Esaiæ, Rapina pauperum in domo vestra, ita ait, Rapina pauperũ in domibus sacerdotum, qui ecclesiæ opes sibi thesaurizant, & in delitijs abutuntur, quę ad sustentationem pauperum dantur, & sibi reseruant, vel propinquis distribuunt, & aliorum inopiã suas, vel suorum diuitias faciũt. His etiã addo apostolorum canonem, hac ipsa de re ita statuentem. Omnium negotiorum ecclesiasticorum curam habeat episcopus, & ea velut deo contemplante dispenset, nec ei liceat ex ijs aliquid omnino contingere, aut parentibus proprijs quæ dei sunt cõdonare, quod si pauperes sint, tamquam pauperibus subministret, ne eorum occasione ecclesiæ depredentur. diuus etiam August. in sermone quodam ita ait, Memento quòd pauperẽ vitam sacerdos gerere debet: & ideo si superbã habet, si magno gaudet beneficio, præter victum, & vestitum pauperibus dare non differat. ¶ Sed quid mirum est, si hoc alijs consulat Augustinus, quando ipse hac tanta liberalitate non contentus, non modo

16. q. 1. Si cupis. Hiero. in Esai. Esai. 3.

12. q. 2. c. Quisquis.

Augu. in sermo. ad Here.

modo sibi subtrahebat, quod pauperibus erogaret, sed etiã quando nihil supererat, quod distrahere posset, ipsa quoque vasa dominica ab altaris ministerio sublata, conflari iubebat, & dari; malens altaribus ornatum, quàm pauperibus alimenta deesse. Vsque adeò enim ad episcopũ pertinere credebat, pauperes alere, vt quando non poterat suis, eos etiam ecclesiæ opibus in periculo, & fame sustentaret. Quid vero diuum Ambrosium commemorem, qui non solùm vasa dominica, vt captiuos redimeret, conflauit, sed propter hoc etiam opus libentissimè inuidiam, & calumniam sustinuit? Cuius verba (quoniam pectus referunt episcopi verè christiani) non grauabor hoc in loco ascribere, quæ ad hunc modum habent. Nos aliquando in inuidiam incidimus, qui confregerimus vasa mystica, vt captiuos redimeremus; quod Arrianis displicere poterat: nec tam factum displicere, quàm vt esset quod in nobis reprehenderent. Quis autem est tam durus, immitis, & ferreus, cui displiceat, quod homo redimitur a morte, femina ab impuritatibus barbarorum (quæ grauiores morte sunt) adolescentulæ, vel pueruli, vel infantes ab idolorum contagijs, quibus mortis metu inquinabantur? Quam causam etsi non sine ratione aliqua gessimus, tamen ita in populo prosecuti sumus, vt cõfiteremur

Ambros. lib. 2. de Officijs.

multoq; fuisse commodius astrueremus, vt animas domino, quàm aurum seruaremus. Qui enim sine auro misit apostolos, & ecclesias etiam sine auro congregauit. Aurum ecclesia habet, non vt seruet, sed vt eroget, & subueniat in necessitatibus. Quid opus custodire, quod nihil adiuuat? An ignoramus quantum auri, atq; argenti de templo domini Assyrij sustulerint? Nonne melius conflat sacerdos, propter alimoniam pauperum (si alia subsidia desint) quàm sacrilegus cõtaminata asportet hostis? Nonnè dicturus est dominus, Cur passus es tot inopes fame emori? Et certe habebas aurum, vt ministrasses alimoniam, cur tot captiui deducti in cõmercium sunt, nec redempti? cur tot ab hoste occisi sunt? Melius fuerat, vt vasa viuentium seruares, quàm metallorum. His non posset responsum referri. quid enim diceres, Timui ne templo dei ornatus deesset? Responderet, Aurũ sacramenta non quærunt; neque auro placent, quæ auro non emuntur. Ornatus sacramentorum, redemptio captiuorum est. Et verè illa sunt vasa pretiosa, quæ redimunt animas a morte. Ille verus thesaurus est domini, qui operatur quod sãguis eius operatus est. Tunc vas dominici sanguinis agnosco, cum in vtroq; videro redemptionem: vt calix ab hoste redimat, quos sanguis a peccato redemit. Quàm pulchrum, vt cum agmina
capti-

captiuorum ab ecclesia redimuntur, dicatur, Hos Christus redemit: ecce aurum quod probari potest, ecce aurum vtile, ecce aurum Christi, quod a morte liberat: ecce aurum quo redimitur pudicitia, quo seruatur castitas. Hos ergo malui vobis liberos tradere, quàm aurum reseruare. Hic numerus captiuorum, hic ordo præstatior est, quàm species poculorum. Huic muneri proficere debet aurum redemptoris, vt redimeret periclitantes. Agnosco infusum auro sanguinem Christi, non solum irrutilasse, verum etiã diuinæ operationis impressisse virtutem, redemptionis munere. Hactenus cælestis tuba Ambrosius, cuius pietatẽ D. Aug. (de quo supra mentionẽ fecimus) ceteriq́; patres sanctissimi secuti sunt. Quorum exempla satis superque esse debent, vt hæc virtus omnibus Christi vicariis quàm commendatissima sit.

XI.

VLTIMO tandem loco, inter episcoporum virtutes collocanda mihi est pulcherrima parcitatis, & modestiæ virtus: quæ ad ea omnia, quæ supra diximus maximè necessaria est. Si enim episcopi, patres pauperum esse perhibentur, si vndecumq; idoneos verbi dei prædicatores ad se asciscere, quos expensis illi suis (quando ecclesiasticæ non suffecerint) alere debent, si rudes etiam, & imperitos sacerdotes, & ministros erudire, & litteris instituere eos expe- *Parcitas, & modestia episcopi.*

dit,

dit, necesse est vt moderata familia, ac mensa
cõtenti sint: quatenus ex facultatibus eorum
supersit, quo omnia hæc onera sustentare pos-
sint. Sic. n. saluator noster (cũ discipulorum pe
des abluere vellet) linteo ita sese præcinxit, vt
extremæ eius partes superessent, quibus lotos
discipulorum pedes abstergeret. Ad quem mo-
dũ episcopi, ita facultatibus suis vti debent, vt
semper ex eis portio aliqua reliqua fiat, quę pe
dibus ecclesiæ (id est pauperibus sustentandis)
deseruire possit. Opes enim ecclesiæ in mani-
bus boni dispensatoris positæ, subsidia sunt
pauperum, alimenta viduarum, adiumenta
virtutum, redemptio peccatorum, stipendia
prædicantium, rudimenta simplicium, susten-
tatio deo dicatarum virginum, instauratio
templorum, collegiorum, studiorumq́; insti-
tutio. Hæc enim omnia, opes ecclesiæ bene
collocatæ præstare possunt: quæ si in alios
vsus effundantur, deerunt episcopo pietatis
præsidia, & instrumenta virtutum. ¶ Sed quia
non pauci sunt, qui ab hac opinione dissen-
tiant, cum ad ecclesiæ amplitudinem, & re-
gendi auctoritatem maximè interesse credunt
ex amplis redditibus, amplas quoq; domos
& familias principum huius sæculi more su-
stentare, atque hunc rerum strepitum ad epi-
scoporum dignitatem pertinere (a qua detra-
hi putant quicquid ab huiusmodi apparatu,

& splen

& splendore detrahitur) examinemus quæso vigilanter, quid in hac tanta re sequendum, quidve declinandum sit, videamusq; diligenter quid ratio, quid auctoritas, quid sanctorum patrum exempla, quid denique sacrorum conciliorum decreta nobis insinuent. Neque enim in hac grauissima causa (quæ totius vitæ pastoralis caput est) suos quisque affectus, priuataq; consilia (quæ variè corrumpi, ac deprauari possunt) consectari debet: sed ecclesiæ, & sacrorum conciliorum, sanctorumq; patrum sententiæ, atque decreta ab omnibus (tanquam cælestia quædam oracula) sequenda sunt: quibus omnis humana ratio facile concedere, & tanquam vexilla sua submittere debet. ¶ Et ratio quidem ipsa dictare videtur, vt ex duobus commodis, quod maius sit amplecti debeat, quisquis rectè sapere velit. Collocemus ergo ex altera parte auctoritatem, & dignitatem quæ splendore domestici apparatus, & amplæ familiæ comparari potest: ex altera vero constituamus omnia, quæ commemorauimus commoda, quæ ex parcitate, & modestia episcopalis familiæ consequuntur (dum quæ sibi episcopus subtrahit, in hos pietatis, & religionis vsus conuertit) quis nõ videat quãto posteriora hæc, & maiora, & diuiniora, & magis ecclesiæ necessaria sint, siue salutẽ omnium corporalẽ, siue spiritualẽ spectare velis.

Quid

Quid tibi tua ista dignitas, & amplitudo tam magno pretio comparata, conferre poterit, si ijs opibus destituatis, quibus tantas resperficere, tantisq; malis subuenire possis? Quid tua ista frigida, nudaq; auctoritas, pietate vacua, nullisq; in populũ beneficijs fulcita, per se poterit præstare? Cum enim nulla re, magis populatium obseruantia, & beneuolentia conciliari possit, quàm eleemosynis, & largitate beneficiorum (vt ante monstrauimus) quem magis quęso populus, & diliget, atq; suspiciet, quàm eum, quem patrem agnoscit beneficijs, episcopum virtutibus, pastorem officio, diuitem beneficentia, potentem subleuatione miserorum, & penè diuinum hominem contemptu omnium terrenorum bonorum? Talem enim virum homines, non vt hominem, sed vt numen aliquod suspiciunt, & venerantur, quem deum vident esse miseris, deum afflictis, deum egentibus, oppressis, & calamitosis. Si enim omne rarum, & mirabile, & pretiosum est, quid hoc tempore rarius, quàm non abire

Eccl. c. 31 post aurum, nec sperare in pecuniæ thesauris? hic enim est, quem vere mirantur homines, & de quo meritò quærant, Quis est hic, & laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita sua. Animum enim excelsum (inquit Seneca) quicquid miramur timemusq; ridentem, & terrena omnia, velut ex alto despicientem, cælestis

poten-

potentia agitat; sine qua ad tantum fastigium, humana virtus peruenire non potest; Hoc ergo est quod veram, & solidam auctoritatem, & gloriam meretur: non fastus, luxus, & pompa (Amor enim, vt recte sapiens quidam dixit, potentia, & metu non constatur) quæ in principe sæculari fortassis toleranda, in ecclesiastico minus inferenda sunt. ¶ Præterea, si episcopus in altissimo perfectionis culmine positus est, ad maioremq; virtutum omnium perfectionem, quàm monachi cuiusuis ordinis, etiam Carthusiani, tenetur, quomodo summæ illi euangelicæ, apostolicæque vitæ amplitudini, quam profitentur, conuenire potest immodicus fastus, & luxus, totq; greges famulantium, adulantiūq; seruorum, tot vasa auro, argentoq; nitentia, tot cibi lautissimi, tot vina pretiosa, tot peregrina, & transmarina fercula, tantus denique apparatus, & pompa sæcularis? ¶ Præterea, si episcopus ipse doctor est, & magister ecclesiæ, qui fideles omnes ad vitæ sobrietatem, & parcitatem, atq; ad terrenorum bonorū, & pomparum sæculi contemptū (quibus in baptismo renunciarunt) verbo, & exemplo exhortari debet, qua quæso fronte, & auctoritate hoc ab alijs exiget, quod ipse non præstat? Occurrit enim ei protinus ad Nepotianum, ita scribens Hieronymus, Non confundant opera tua sermonem

Hiero. ad Nepotia. epist. 2.

monem

monem tuum: ne cum in ecclesia loqueris, tacitus quilibet intra se dicere possit, cur ergo hæc quæ dicis ipse non facis? & deliciosus magister est, qui pleno ventre disputat de ieiunijs: accusare auaritiam, & latro potest. Sacerdotis Christi os, mens, manusq; concordent. ¶ Denique si recte à patribus definitum est, episcopi munus non tam honorem esse, quàm onus: nec tam principatum quàm ministerium: nec tam dominium, quàm liberam, & ingenuam

1.*Cor*.9. seruitutem (sic enim Paulus ait, Cũ liber essem ex omnibus, omnium me seruum feci, vt omnes facerem saluos) labori ergo, ac ministerio, & seruituti, non fastui, & luxui inseruiendum est. Et ne me huius sententiæ auctorem fingas,

Bernar. in epist. audi D. Bernardum ita definientẽ. In omnibus exemplo apostoli honorificabitis ministerium

Rom.11. vestrum: ministerium inquã, non dominium: ipsum quidem honorificabitis, non vos. Nam qui quærit, quæ sua sunt, se cupit honorari, nõ ministerium. Honorificabitis autem, nõ cultu vestium, non fastu equorum, non amplis ædificijs, sed moribus ornatis, studijs spiritualibus, ac bonis operibus: hactenus ille. Quis ergo sanctissimi huius viri, integerrimo iudicio, atq; sententiæ subscribere renuat, ac recuset? Audi etiam D. Chrysostomum pontificem clarissimum, eadem de re ita disserentem: Differentia (inquit) dignitatis facta est inter sanctos, vt

vt vnus ſit epiſcopus, alius miniſter; contuma
cia vero carnis coegit, & peruerſitas mundi,
& operatio inimici, vt honores videantur eſ-
ſe, quæ reuera non ſunt, niſi miniſteria. Ha-
ctenus ille. quibus addo etiã diuum Hierony-
mum ſuper illud Apoſtoli, Si quis epiſcopa- 1. Tim. 3.
tum deſiderat, bonum opus deſiderat, ita mu-
nus epiſcopi definientem, Opus, inquit, hoc eſſe
naturæ non dignitatis, laborem non delicias;
non creſcere faſtigio, ſed humilitate decreſce-
re: vt ſit ſeruus, & miniſter hominũ propter
Chriſtũ. Si ergo epiſcopus ſeruus eſt, & mini-
ſter eccleſiæ, vt ſeruus ergo, & miniſter, non vt
princeps ſe gerere debet, ne ei a domino illud
Ezechielis improperetur, Cum auſteritate im- Ezechi.
perabatis, & cum potentia. ¶ Præterea ſi (vt 34.
Saluator ait) epiſcopus eſt velut ciuitas quæ-
dam, ſupra montem poſita, ad quam omnes in Mat. 5.
anguſtijs, tum corporis, tum animæ conſtitu-
ti confugere, & velut fons quidam publicus,
vnde omnes ſitientes bibere; & vt communis
quædam medicamentorum omnium apothe-
ca, vnde ægri omnes morborum ſuorum re-
media expetere debeant; ſi idem eſt etiam do-
ctor inſipientium, magiſter infantium, lumen
eorum, qui in tenebris ambulant; a quo cæci
lumen, paruuli doctrinam, dubij conſilium,
inopes ſubſidium, viduæ protectionem,
infirmi ſoſpitatem, & varijs tentationibus

ſeru-

ſcrupulis, & tribulationibus preſſi, medicinam pariter, & auxilium quærere debent, domus enim epiſcopi, & aſylum, & oraculum totius debet eſſe ciuitatis; vnde & antiqui patres olim iuxta eccleſias habitantes, liberum ſine cuſtode aditum; cunctis ad ſe venientibus præbebant) quomodo abiecti, & inopes homines familiariter epiſcopū conuenire poterunt; & ab eo vel opem exigere, vel cōſilium, quem videant tot vallatum famulis, tantoq; apparatu, & ſplēdore nitentem, qui pauper is ita perſtringat oculos; vt in primo limine tanta oppreſſus luce, vltro pedem referat? Quomodo epiſcopus ſeſe ad huius infirmi homuncionis humilitatem, ex tam ſublimi gradu demittet, aut quomodo pauper audacter, libere, & familiariter tali tantoq; doctore, & conſiliario vti poterit; qui principis magis, quàm doctoris perſonam referat? Certe hic aut perſona deponenda eſt, aut officium abijciendū: male enim inter ſe iſta cohærent, & perſonam principis agere, & humilibus cōſentire, & cum infimis hominibus (quando res ita poſtulat) paterna charitate familiariter agere. ¶ Verū quid opus eſt, aut rationibus, aut patrū teſtimonijs hanc cauſam agere, cum habeamus ſacrorum canones conciliorum, qui eis hanc eandem parcitatem, atq; modeſtiam præſcribunt? Sic enim habet concilium carthaginenſe. 4. cui diuus
Augu-

Augustinus interfuisse dicitur, episcopus pauperem domum, & vilem supellectilem habeat, dignitatemq; auctoritatis suæ, fide, & meritis quærat. Quid igitur ad hæc dicemus? quis iudicium suum tantorum patrum auctoritati; immo & spiritui sancto, in concilijs præsidenti, atque definienti, audeat anteferre? Neque verò ita hic consulitur parcitati, vt non etiam auctoritati cõsulatur. Verum hanc expetimus; non fucatam, & vanam, & quæ solis externis rebus (quæ nihil ad nos attinent) nitatur: sed quæ solida, & vera sit, quæ virtute, sapientia, sanctitate, liberalitate, magnitudine animi, fiducia in deum, & rectè factis comparatur. Si enim ex omnium philosophorum, & gentium communi consensu vni tantum virtuti honor, dignitas, auctoritas, & reuerentia debetur; quòd virtus rerum omnium dominà sit, ac regina; quo iure magis hanc episcopi auctoritatem promereri poterũt, quàm virtutis, ac sanctitatis præstantia? Nam qui diuitijs, qui vestibus, qui fastui exibetur honor; is planè falsus, indignus, & fucatus est. Rectissimè enim á Seneca dictum est, Nõ faciunt equum meliorem aurea frena; nec hominem meliorem fortunæ ornamenta. Quemadmodum enim in auro, & gemmis, & in ipsa etiam corporum pulchritudine, cernere licet aurum aliquod verum; aliquod autem adulterinum;

 gemmas

gemmas item veras, & adulterinas: corporis etiam pulchitudinem veram a naturaque ipsa tributam, aliam vero arte, fallacijs, & fuco quæsitã: ita sane mirari nemo debet, si honor aliquis, atq; auctoritas vera sit, quæ meritis, & virtute comparatur: fucata verò alia, quam stulti, & imperiti rerum æstimatores opibus, & potentiæ tribuunt. Sic enim apud Cicero-

1. Tusc. 3

nem legimus, Gloria est solida quædam res, & expressa, nõ adumbrata. ea est consentiens laus bonorum, incorrupta vox bene iudicantiũ de excellenti virtute. Illa autem quæ se eius imitatricem esse vult, temeraria, atque inconsulta laudatrix fama popularis, simulatione honestatis formam eius, pulchritudinemq; corrumpit. Tu ergo quæ habent speciem gloriæ, collecta ex inanissimis splendoris insignibus, contenne, breuia, fugacia, & caduca existima. Huiusmodi ergo gloriã, principibus sęculi permittamus: absit aũt vt ecclesiæ principes, veris honorũ fontibus omissis, fucatos, & fallaces exquirant. Id enim calamitosissima illa ætate,

2. Maca. 4.

sub Antiocho tyranno, quando sacra omnia violata sunt, contigisse memorant historiæ Machabæorum; cum principes populi, & sacerdotes, patrios honores pro nihilo habentes, Græcas glorias optimas arbitrabantur: patrij enim honores erant, qui virtuti, qui religioni, qui fidei, & meritis vitæ reddebantur; quibus,

quibus, cum sacerdotes destituti essent, ad falsos honorum titulos, nempe opes, apparatus, pompasq; ethnicorum confugiebant. ¶ Quis enim nesciat principatum sæculi in hoc ab ecclesiæ principatu distare, quòd ille carnalis sit, & terrenus, hic vero spiritualis, atque cęlestis? Quod si ita est, quis dubitet illum quidem terrenis, hunc verò cælestibus, spiritualibusq; potissimum opibus niti debere? Quid igitur naturam rerum inuertimus? quid peregrina mutuamus? quid celeriter interituris æterna commutamus? quid humana diuinis cõmiscemus? Cur dum aliena, & peregrina sequimur, nostra relinquimus; & velut proditores & transfugæ, in ipsis dei castris, sub alienis signis militamus? Sed quid ago? video enim non modo ecclesiæ, sed multos etiam sæculi principes, non fastum, & luxum, sed sobrietatem, parcitatemq; præcipua regni ornamenta, atque pręsidia posuisse. Quàm parcos enim, plerosq; lacedæmoniorum reges fuisse legimus: qui non auro, argento, aut margaritis, sed magnitudine animi, prudentia, iustitia, ceterisq; virtutibus (quæ cunctis margaritis pretiosiores sunt) auctoritatem, dignitatemq; super omnes alios quæsierunt? Agesilaum enim clarissimum principem memorat Plutarchus, cũ in tentorijs inter milites ageret, nihilo meliorem calcitram habuisse, quàm ceteros; illud *Plutar. in Apopbth*

assiduè in ore habentem, principis esse non mollitie delicijsve, sed temperantia, ac fortitudine priuatis hominibus antecellere, quid verò Alexander ille, totius penè orbis monarcha? qua quæsò illum frugalitate, & parsimonia in tam ampla fortuna vixisse credamus; qui post illustrem illam persarum victoriam, cum domum Darij ingressus, variam eius suppellectilem, & persicas delicias, stratum, mensas, cænaculum, cæteraq; miro instructa ornatu perspexisset, ad socios couersus, Hoccine, inquit, imperare erat? Quo vno verbo, & frugalitatem suam declarauit, & quàm alienum ab officio, & dignitate principis esset delicijs fastuiq; indulgere, monstrauit. nec mirum esse, potuisse vinci, qui sic vitã instituisset. Sed hæc in prosanis litteris legimus, quid verò in sacris? Primus Israelitici populi princeps Moses fuit, non ab hominibus, neq; per hominem, sed à deo electus. De hoc vero Philo disertissimus iudæorum, scribit in hunc modum, Solus hic omnium, qui vnquam principatum gesserũt, non aurum, non argentum in thesauros condidit, non tributa exegit, nõ palatia, non latifundia, non greges, non famulitia, non redditus, non alias opes sibi parauit, quamuis posset habere omnium harum rerum copiam: sed existimans animæ pauperis iudiciũ esse mirari materiales diuitias, has quidem vt cęcas contempsit,

Philo. de vita Mosis. lib. 1.

pſit,

pſit, illas verò naturales, perſpicaceſq; honorauit, & amauit, ſi quis vmquam alius: in veſtitu, victuq; quotidiano, nihil præſeferens faſtus tragici, ſed ſimplicitatem, frugalitatemq; exercens priuati hominis, regem aũt in his ſolis agebat, quæ verè ſunt regia: vt ſunt cõtinentia, fortitudo, ſobrietas, ſolertia,, prudẽtia, ſcientia, induſtria, tolerantia, iuſtitia, voluptatis contemptus, ad virtutem exhortatio, obiurgationes, caſtigationeſq; peccãtium legitimé, & rectè facientium laudes, atq; prẽmia. hactenus ille. Si ergo terreni illi principes Chriſtũ ignorantes, & in ipſis adhuc infidelitatis, & ydololatriæ tenebris agentes, ſolo rationis lumine hoc & viderunt, & ſequuti ſunt; quis ferat epiſcopum, pauperis Christi vices gerentem, & exemplo, atq; doctrina ſua homines ad contemptum terrenorum bonorum adhortãtem, inter epulas, & magnifica conuiuia, interque crateras aureas, & argenteas, ſplendidaſq; miniſtrorum cateruas, vitam agentem? ¶ Nemo ergo dicat de epiſcoporum dignitate, & gloria aliquid detrahi, cum hanc ab eis carnalem, & fallacem gloriam ſubtrahimus: non enim hoc agimus, vt dignitatem illis, honoremq; detrahamus, ſed vt expreſſam, ſolidam, vereque chriſtianam gloriam illis tribuamus. Neque enim ſine epiſcopali honore, & gloria apoſtoli fuerunt, qui tamen dicere potuerunt,

1.Tim.6. Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti sumus. Et illud, Argentum, & au-
Act.3. rum non est mihi: quod autem habeo, hoc tibi do. Neq; sine auctoritate etiam diuus Martinus fuit (quem apostolis parem fuisse canit ecclesia) de quo tamen in vita eius ita scribit Sulpitius, Factus verò episcopus turonensis, idem constantissimè perseuerabat, qui prius fuerat: eadem in corde humilitas, eadem in vestitu vilitas: atque ita implebat episcopi dignitatem, vt propositum monachi non desereret. ¶ De diui verò Augustini frugalitate, & parsimonia, scribit in eius vita Possidonius in hũc modum, Mensa vsus est frugali, & parca: quæ quidem inter olera, & legumina, etiã carnes aliquando propter hospites, vel quosque infirmiores continebat. Coclearibus tantum argenteis vtens, cetera vasa quibus mẽsæ eius cibi inferebantur, vel testea, vel lignea, vel marmorea erant: non necessitatis inopia, sed proposito voluntatis. Denique morti iam proximus, testamentum nullum fecit: quia vnde faceret pauper Christi non habuit. hactenus ille. Et hic tamen, qui adeò parcè vitam instituerat, tanta fuit auctoritate, atque præstantia, vt totam penè Africæ prouinciam, varijs hæreticis infestatam, ab erroribus liberauerit. Aduersus enim huiusmodi portentà dictu mirum, quàm strenuum pugilem egerit

Augustinus. Deiecit Pascentium arrianum, licet auctoritate, potestateq; publica formidabilem: traduxit manichæorum prodigiosas fabulas, & obscœna mysteria protraxit in lucem: Donatistas, & Circoncelliones, pertinax malũ, multis conflictibus tandem fudit, profligauit, deleuit. Postrema lucta fuit cũ pelagianis; quibus etiam omnem vim, auctoritatemq; detraxit. Paganorum deniq; reliquias, magna ex parte deleuit in ea prouincia. et ad tantas res conficiendas, non vi, non armis, non copijs vsus est, sed solo gladio spiritus, quod est verbum dei, atq; armis apostolicis, tot victorias, tot triumphos parauit ecclesiæ Christi. Quid verò diuum Basilium commemorem, cuius mores regale quiddam (vt eius nomen sonat) præ se ferre videbantur? An nõ ne ille inuicta quadã animi magnitudine, ac sanctitate vitæ, omni pompa, atque apparatu destitutus, cum ipso imperatore Valente arriano tot annos, pro fide ecclesiæ decertauit? Quis autem Basilio in victu, & vestitu frugalior? Sic enim de eo scriptum legimus, Erat autem Basilius in victu, & cultu abstinentissimus: vna tantum tunica amiciebatur, humi cubitabat, totis sæpe noctibus vigilabat. Demum obijt corpore per abstinentiam consumpto, cum ossibus, ac pelle tantum superstes esset. Similem vitæ parsimoniã sequutus est, & sanctus Exuperius: de *Ephe. 6.*

Hierony. Episto. to.1. quo ita ſcribit Hieronymus. ſanctus Exuperius tholoſæ epiſcopus, viduæ Sareptenſis imitator, eſuriens paſcit alios; & ore pallente ieiunijs, fame torquetur aliena: omnemq́, ſubſtantiam, Chriſti viſceribus erogauit. Nihil illo ditius, qui corpus domini caniſtro vimineo, ſanguinem portat in vitro. Huius ſectare veſtigia, & ceterorũ, qui virtutis illius ſimiles ſunt, quos ſacerdotium, & humiliores fecit, & pauperes. Quid hoc exemplo mirabilius? quis non obſtupeſcat corpus domini, quod nec ipſis quidem angelorum manibus pro dignitate tractetur, caniſtro vimineo circumferri? Quo affectu ferebatur in pauperes Chriſti, qui Chriſtum tam humili vaſe circumferebat? Quomodo ſuis parceret facultatibus, vt pauperes alere poſſet, qui nec ipſis quidem altaribus pepercit? Quomodo ſplendidam domum, atq; familiam eſurientibus pauperibus aleret: qui vt algentes, nudoſq; veſtiret, altaria quoque ipſa nudauit? Tales ergo præſules, iſtis ſuis exeſis corporibus, iſta vitæ ſobrietate, & parſimonia aduerſus mundi monarchas, eccleſiam Chriſti tutati ſunt: nos vtinam eorum labore conſeruatam, & auctam retineamus. Sed ad hoc certiſſima via eſt eorum ingredi veſtigijs, quando (vt nobilis ille hiſtoricus dixit) imperium eiſdem artibus retinetur, quibus initio partum eſt. Quæ vbi

deſuerunt,

defuerunt, nec ipsa quidem caput mundi Roma stare diu potuit: imperium enim summis laboribus, & inedia partum, non dirus Hannibal, aut crudelia bella, sed luxus, & opulentia bellis pernitiosiora dissoluerunt. ¶ Neq; vero quisquam aduersus hæc sanctorum patrum exempla, diuersitatem mihi temporũ obijciat: ad hanc.n. fere confugiunt, quicũq; genio suo indulgentes, de opibus, atq; domestico apparatu sibi blandiuntur. Quæ res alicuius fortasse momenti esset, si cũ tempore, aut fortunæ pauperum, aut mores hominũ mutarentur. Nunc cum eadem sit pauperibus indigẽtia, eadem in hominibus morũ corruptio, eadem ambitio, auaritia, luxus, fastus, & intẽperantia; nõ video cur eisdem morbis, non eadẽ adhiberi debeat medicina. Constat etiam malorũ oĩum fontem, esse naturę labem, & corruptionẽ, quæ per peccatum (quod a parentibus traximus) nõ modo infecta, sed etiam in seruitutem peccati venundata oĩum peccatorum prurigo, & veluti seminarium est. Cuius nimirũ letiferi seminis fructus, sunt opera illa carnis, quę Apostolus enumerat: fornicatio, immundicia, impudicitia, luxuria, ydolorum seruitus, veneficia, inimicitię, contentiones, emulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectę, inuidię, homicidia, ebrietates, comessationes, & his similia. Ab hac ergo radice carnis, & peccati omnia hæc vitiorum germina *Gal. 5.*
subinde

ſubinde pullulant:ad hæc tam tetra,ac funeſta
Gen.8. mala,miſeri propenſi ſumus, dicēte domino,
Senſus enim,& cuncta cogitatio humani cordis, in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua. ſi iigitur hoc ipſo tempore eadē hominis natura, eadē peccati labe infecta perſeuerat;cur diſſimilitudinem temporū in ſimili cauſarum ratione ſomniamus? Eaſdem.n.cauſas,eodē modo ſemper operari, hoc eſt ad idē inclinare neceſſe eſt. Quocirca ſi eadē hoc tempore vitiorum lues;eccleſiam dei deuaſtat,eadem quoq; virtutum remedia,eademq; medicina neceſſaria eſt. Non ergo faſtus faſtu, non luxus luxu, non opes opibus,non delicijs deliciæ: ſed humilitate faſtus, ſobrietate luxus, paupertate auaritia, & aſperitate deliciæ ſuperandæ ſunt. Sicut enim ignis igne non extinguitur, ſed augetur(contrario enim humore extiguendus eſt) ita non faſtu faſtus, ſed ſobrietate, & parcitate ſuperandus.¶Quòd ſi diſſimilem adhuc eſſe rationem temporum contendas, libenter annuam: ſed tamen in peius degeneraſſe, ac mutata eſſe tempora, nemo eſt qui neſciat. Quod ſi ita eſt,neceſſe eſt ſanè, vt ingraueſcente morbo, acrior medicina adhibeatur; maiori enim ſanctitate, maior temporum prauitas curanda eſt: quia vbi abundat delictum, ſu-
Rom.5. perabundare debet & gratia.Quis autem adeò mentis inops eſt, qui non videat omnia mun-

di vitia cum tempore pariter adoleuisse? quando enim tot hæresum monstra, ecclesiam ita infestarunt, vexarunt, ac penè oppresserunt, quando ita luxus, auaritia, ambitio, libido, deliciæ, ludi, epulæ, splendor vestium, ceteraq; vitiorum irritamēta, & cupiditas ipsa (malorum omnium seminarium) inundauerunt? Quantum vero ecclesię proceres, & ministri (qui his malis opem ferre debuerunt) a maioribus suis hoc ipso tempore degenerarunt, siue probitatem spectare velis, siue docendi facultatem, siue eleemosynarum largitatem, siue sobrietatem vitæ, siue infractum animum ad omnia pro sibi commisso grege pericula subeunda? Deniq; si diuo Cypriano credimus, quo mundus magis ad finem properat, eo magis velut senectute, ac vetustate conficiente, in deteriora prolapsus est. Sic enim scribit aduersus Demetrianum, Breuiatur in dies singulos, & decrescit, ac deficit in agris agricola, in mari nauta, miles in castris, innocentia in foro, iustitia in iudicio, in amicitijs concordia, in artibus peritia, in moribus disciplina. Putas ne tu, tantam posse substantiam rei senescentis existere, quanta prius potuit nouella adhuc, & vegeta iuuenta pollere? Minuatur necesse est quicquid, fine iam proximo, in occidua, & extrema deuergit. Sic sol in occasu suo radios minus claro, & igneo splēdore iaculatur, sic de-

Cypr. contra Demetrianum.

sic declinante iam cursu, exoletis cornibus luna tenuatur. et arbor quæ fuerat ante viridis, & fertilis, arescentibus ramis, fit postmodum sterili senectute deformis, et fons qui exundantibus pri⁹ venis, largiter profluebat, senectute deficiens vix modico sudore distillat. Hæc sententia mundo data est, hæc dei lex est, vt omnia orta occidant, & acta senescant, vt infirmentur fortia, & magna minuantur, vt cum infirmata, & diminuta fuerint, finiantur. hactenus Cyprianus. Sed quid ego Cyprianum commemoro, cũ & apostolicis, & euangelicis passim vocibus admoneamur, in nouissimis diebus instare tempora periculosa, futurosq; homines nimium sui amantes; quo tempore, & iniquitas abundare, & charitas debeat refrigescere. Si igitur cum ipsis temporibus omnia pariter mala creuerunt, maiori ergo virtute, prudentia, solicitudine, vigilantia, temperatione, ac disciplina eget, quisquis tot malis corrigendis, atque curandis præfectus est. Meliori enim nauclero in sæuiori tempestate, & peritiori medico in grauiore ægritudine, præstantioreque duce in desperata victoria opus est. Denique ne in hac tanta causa, ad solam rationum opem confugiamus, & antiqua patrum exempla, & conciliorum decreta antiquata esse fingamus, addo his omnibus Tridentini concilij decretum, quod nostris celebratum tempo-

2. Tim. 3.

Mat. 42.

temporibus, nostrisq; curandis moribus institutum, omnem penitus excusationis ansam præripuit. Sic enim ait, Optandum est, vt ij, qui episcopale ministerium suscipiunt, quæ suę sint partes agnoscant: ac se non ad propria commoda, non ad diuitias, aut luxum, sed ad labores, & solicitudines, pro dei gloria vocatos esse intelligant. Nec enim dubitandum est, fideles reliquos ad religionem, innocentiamq; facilius inflammandos, si præpositos suos viderint non ea, quæ mundi sunt, sed animarum salutem, ac cælestem patriam cogitantes. Hæc cum ad restituendam ecclesiasticam disciplinam, pręcipua esse, sancta synodus animaduertat admonet episcopos omnes, vt secum ea sæpe meditantes, factis etiam ipsis, ac vitæ actionibus (quod est veluti perpetuum quoddam prædicandi genus) se muneri suo conformes ostendant: imprimis verò, ita mores suos omnes componant, vt reliqui ab eis frugalitatis, modestiæ, continentiæ, ac (quæ nos tantopere commendat deo) sanctæ humilitatis exempla petere possint. Quapropter exemplo patrum nostrorum in concilio carthaginensi, non solum iubet, vt episcopi modesta supellectili, & mensa, ac frugali victu contenti sint, verum etiam in reliquo vitæ genere, ac tota eius domo caueant, ne quid appareat: quod a sancto hoc instituto sit alienum, quodque non simplicita-

Sessio 25. cap. 1.

plicitatem, dei zelum, ac vanitatum contemptum præseferat. Hactenus verba concilij: quæ omnem nobis errandi aditum præcludunt. Nullus enim qui christianum se esse profiteatur, adeò insolens erit, qui iudicium suum ecclesiæ auctoritati, & iudicio velit anteferre. Quod si ita est, non habet igitur quisquis fastuose viuit, & quotidie splendide epulatur, magnosq; famulorum greges alit, & in hoc tã magnos ecclesiæ redditus pauperibus profuturos, insumit; quo se vlla ratione tueatur: cum aduersum se tot habeat rationes, tot patrum exempla, tot doctorum sententias, tot denique & antiquorum, & recentiorum conciliorum sanctiones, atq; decreta. Contra tantam enim nubem testium, nulla stare potest, aut resistere humana prudentia Quæ ideo tam multis a me dicta sunt, partim, vt si qua fieri posset, contrariam sententiam, quæ ecclesiæ rationibus nocentissima est, ex multorum animis funditus euellerem: partim verò vt his armis episcopi verè christiani pectus, aduersus omnes mundi machinas, quæ huic proposito vehementissime aduersantur, muniretur. Vt omittam enim humanæ prudentiæ rationes (quæ aliud suadent) & ipsam naturæ corruptæ propensionem (quæ sponte sua ad fastum magis, & gloriam, quàm ad humilitatem, & parcitatem fertur) tot sunt etiam otiosorum, &

Hebr. 12.

inopum

inopum hominum in episcoporum clientelam recipi volentium greges (qui hoc vitæ genere sine multo labore, tum inopiæ suæ, tum honori, consultum iri putant) vt nisi firmissimis his veritatis præsidijs, episcopi mens fuerit communita, vix efflagitantium importunitatibus resistere queat. Vbi enim primum quis in episcopum designatus est, velut prædam quandam episcopatum esse arbitrantes, protinus ad eum vndique amici, consanguinei, affines, viri potentes, & nobiles accurrunt, aliusq; filium in famulum, alius fratrem, alius nepotem, alius seruum offerunt: instant, obsecrant, vrgent, atque omni ratione miserum pastorem vexant, famulisq; onerare contendunt (quos dum semel admiserit, excludere perpetuo non possit) vt nisi constanti, & infracto animo sit, importunitati victus cedat, & contentioni flagitantium. Quo fit vt tot oneribus pressus, tantisque expensis addictus, vix quidquam ei supersit, quo & multorum inopiæ, & periclitanti ecclesiæ subuenire possit.

XI.

Hae sunt, patres amplissimi, præcipue partes, & officia, quę ad dignitatem cælestis huius peneq; diuini muneris requiruntur. Sed quoniã episcopus nõ solum pastor, sed etiam sacerdos est; quorum alterum ad homines, alterum ad deum

Quod sit præcipuũ episcopi munus.

ad deum

ad deum magis referendum eſt, neceſſariũ videbatur, vt de ſacerdotis quoq; officio, hoc in loco aliquid diceremus : verũ quia de ſolo hic paſtoris officio orationem inſtitui, hac modò parte prætermiſſa; ſupereſt vt hæc ipſa, quæ ad illius dignitatem pertinere diximus officia, inter ſe conferamus : & quid inter ea potiſſimum excellat, expendamus. Multum enim refert, quid quo loco ſit habendum, & quid primum, quid poſtremum faciamus. Sunt enim nõnulli, qui præcipuas epiſcopi partes eſſe definiant, optimum, & incorruptiſſimũ iudicem ſeſe gerere, vt ſcilicet diligenter, & ſolicite popularium ſuorum cauſis intendat, & ſuum cuique ius fideliter tribuat. et quidem nõ pauci ſunt, qui dum hoc rectè faciunt, ſatis ſe munere ſuo functos arbitrentur. Sunt alij, qui cum epiſcopos patres pauperum eſſe audiunt, nihil illis ad tantæ huius dignitatis faſtigium deeſſe putant, ſi & honeſte viuunt, & in pauperum neceſſitatibus leuandis liberales ſunt, Vulgus enim hominum vtilitate ſua principum, epiſcoporumque probitatem, dignitatemque metitur : eumq; appellat ſanctiorem, quem erga ſe expertus fuerit liberaliorẽ. Sunt & alij, qui quoniam doctoris, & magiſtri officium epiſcopis potiſſimum tribuunt, præcipuas eius partes in docendo, & concionando poſitas eſſe credũt. Non defuerunt etiam, qui

orandi

orandi munus (quod propriè sacerdotum est) episcopo tamquam principi sacerdotum, primo loco tribuendum esse censerent: quia videlicet res tractet arduas, & supra naturam hominum positas; qualis est animarum salus: quę oratione magis, ac diuina virtute, quàm humanis viribus peraguntur. Sic enim Moyses (qui perfectissimi pastoris imaginē nobis exhibuit) orando, & cum deo magis quàm cū hominibus agendo, pastorali munere functus est: *Exo.* 4. Aarone enim fratre pro ore suo, & propheta vtebatur, sicut ei a domino fuerat imperatum. Orando autem, impendentem in populum irā domini frequenter repulit, legem a deo impetrauit, maria diuisit, ægyptiorum currus, exercitumq; prostrauit, aquam è petra, & manna è cælo produxit, amalechitarum agmina fudit, & de exteris gentibus trophęa sæpę inclita reportauit. *Exo.* 20. *Exo.* 14. *Nu.* 20. *Exo.* 16. *Exo.* 17. Qua ratione permoti nonnulli, haud contemnendę doctrinę viri, in hac fuerunt sententia, vt pręcipuum perfecti pastoris officium in orando collocarent; quod sanctus Valerius ita & sensisse, & præstitisse videtur: qui cum prædicandi munus Vincentio diacono suo tradidisset, ipse orationi rerumq; cælestium contemplationi vacās, salutem ouium suarum iugiter domino commendabat. Ceterum quamuis officia hęc omnia, & vtilissima, & pastorali muneri prorsus necessaria sint, docendi tamen,

men, & prædicandi proprium esse præcipuũq;
Sessio.24. episcopi officium, in hac sacra Tridentina sy-
c.4. nodo definitum est. Neq; id immerito: in ijs enim, quæ ad finem aliquem destinantur, ratio eorum, & dignitas ex ipso fine iudicanda est. Quo enim quæq; res fini propinquior existit, magisq; ad illum assequẽdum iuuat, eo vtilior, & magis necessaria est. Finis autem episcopalis officij is est, quem episcopum in manu, & ob oculos perpetuo gestare, ecclesia voluit. Ideo enim anulum cõtinenter gestat, vt quem-
Num.15. admodum iudæis olim a domino prçceptum fuit, vt in ora pallij vittas hyacinthinas circunferrent; quas cum aspicerent, officij sui, atq; diuinæ legis recordarentur: ita cum episcopi symbolum hoc in manibus, & ante oculos positum cernerent, admonerentur sponsos se ecclesię esse, ex qua spirituales quotidie filios suscipere debeant, & procreare. Huius enim spiritualis matrimonij finis, est spiritualis soboles: qualis illa erat de qua Apostolus gloriaba-
1.cor.15. tur dicens, Nam etsi decem millia pedagogorum habeatis in Christo, sed non multos patres: nam in Christo Iesu per euangelium ego vos genui. Est ergo huius officij finis, spiritualis filiorum propagatio; hoc est sceleratorum hominum a vitijs ad virtutum studia conuersio; quæ cælestis verbi semine, & ministerio fit: per quod proximorum animas Christo lucrifacimus,

facimus, & eccleſiam dei fœcundamus, ac noua prole locupletamus. Ad hoc autem efficiendum quis dubitat prædicandi, atque exhortādi munus propius pertinere? Cetera enim epiſcopi officia, quamuis ad hunc omnia finem referantur, longius tamen ab illo diſtant: exhortari autem & monere, atq; a vitijs ad virtutem homines traducere, hoc vere eſt ſpiritualibus liberis operam dare, ſparſóque verbi cæleſtis ſemine, filios Chriſto generare. Quod apoſtoli ſpiritu dei pleni, exemplo ſuo euidentiſſime docuerunt: qui viduarum & pauperum curam, lectiſſimis ad hoc viris comendantes, orandi ſolum, ac docendi munus ſibi reliquerunt. Quorum exemplum ſequuta ſynodus Carthaginen. quarta, decreuit, vt epiſcopi procurationem viduarum, & pupillorum archipreſbyteris, vel archidiaconis committerent: ipſi vero (vt ante diximus) lectionis, orationis, & prædicationis ſtudio ſe totos addicerent, quo ad virtutem, & religionē rudem populum erudirent: prudenter ſanè minora minoribus, maiora verò maioribus eccleſiæ miniſtris delegantes. Conſtat enim corporalibus, ſpiritualia lōge maiora eſſe: ac proinde maioribus miniſtris relinquenda. Quid vero apoſtolum Paulum commemorem, qui non modo hæc, quæ ad corporis obſequiū referuntur, ſed ſacramentorum etiam miniſterium

Act. 6.

a se ablegauit; vt vni tantum prædicationis of-
1. cor. 1. ficio vacaret? Ait namque, se a Christo non
fuisse missum baptizare; sed euangelizare. Ne-
que vero in noua tantum; sed in illa etiam ad-
huc carnali, & veteri lege idem factitatum esse
Exo. 18. deprehendimus. Iethro enim Mosis socer, hoc
genero consilium dedit, vt causarum quidem
sæcularium definitiones, inferioris ordinis ho
minibus delegaret: ipse vero populo ijs, quæ
ad deum pertinent præesset; vt ostenderet eis
ceremonias, ritumq; colendi. Vides ergo do-
ctrinæ potissimum, & religionis curam sum-
mo pastori Moysi commissam: litium vero &
causarum sæculi contentiones, velut tanto in-
dignas præsule, ad inferiorum iudicia relega-
tas? Quod contra faciunt pleriq; nostrorum
prælatorum; quorum omnis pene cura, & so-
licitudo in hoc vno causarum studio cõsumi-
tur, nobilissima prędicandi sarcina (ac si nihil
ad eos pertineret) alijs commissa. Quo quid
esse potest monstruosius? Si enim Apostolus
1. Cor. 6. monet, vt ad iudicia sæcularia componenda,
vel contemptibiles, qui sunt in ecclesia consti-
tuantur, qua fronte qui summum in ecclesia
gradum obtinent, qui ipsius dei vices gerunt,
qui ad spiritualia, ac diuina tractanda (vt spi-
rituales, ac diuinos pene homines reddant) po-
tissimum destinati sunt, ad abiectissima, hęc re-
licto diuini verbi ministerio se demittũt? Quis

enim

enim æquo animo ferat ea, quę oculorum propria ſunt, pedibus committi: quæ vero pedũ officia ſint, oculis aptari? Pertimuit princeps paſtorum Petrus, abuſum hũc in eccleſiam irrepſurum: ideoq; morti iam proximus, conuocatis ad ſe fidelibus & eccleſiæ miniſtris, ſermonem habuit tali ſanè pectore dignum: quo explicans quę potiſſimum munia ſingulis eccleſiæ gradibus, ac miniſtris cõuenirent, Clementi quem pro ſe pontificem ſufficiebat, hoc potiſſimum docẽdi munus (omnibus alijs huius vitæ negotijs ablegatis) his verbis commiſit. Te quidem oportet irreprehenſibilem viuere; & ſummo ſtudio niti, vt omnes vitæ huius occupationes abijcias. Et mox, Sicut (inquit) tibi impietatis crimen eſt, neglectis verbi dei ſtudijs, ſolicitudines ſuſcipere ſæculares: ita vnicuique laicorum peccatum eſt, niſi inuicem ſibi etiam in his, quæ ad communis vitæ vſum pertinent, operam fideliter dederint. Te vero liberum reddere ab his, quibus vacare non debes, omnes communiter elaborent. Quòd ſi forte a ſemetipſis, hoc laici non intelligunt, per diaconos edocẽdi ſunt, vt tibi ſolius eccleſiæ ſolicitudines derelinquãt: quo ipſam, vt dignum eſt, diſpenſare ſufficias, & veritatis verbo abundantius, & ſtudioſius deſeruire. Si enim mundialibus curis fueris occupatus, & teipſum decipies, & eos qui te au-

diunt. Non enim poteris, quę ad salutem pertinent, plenius singulis quibusque distinguere. Et ex eo fiet, vt & tu tamquam qui non docueris ea, quę ad salutem hominum pertinent, puniaris, & discipuli per ignorantiam pereát. Idcirco tu quidem, ad hoc solum vacato, vt opportune, & sine intermissione doceas verbum dei, per quod salutem ceteri consequantur.

1.to.Concil.fol.33 Hactenus verba Petri; quæ Clemens in epistola ad Iacobum fratrem domini refert: quæ vel sola sufficere deberent, vt docendi studiū pręcipuum esse christiani pastoris munus intelligamus. At inquies, Quid ergo is faciet, cui aut natura dicendi facultatem largita non est, aut quam aliquando habuit, senectutis incommodis, infestoue alio casu amisit? num præcipua, summaque pastoralis officij parte destitutum esse iudicabimus, qui tamen alijs omnibus instructus sit? Aggrediar huic quoque parti, quoad potero satisfacere. Principio, quisquis hac facultate destitutus est, potest idoneos verbi dei ministros (vt ante monuimus) diligenter inquirere, & per varia loca distribuere: vt per alios pluribus in locis pręstare possit, quod per se quidem in vno tantum loco fuisset pręstaturus: atque hac ratione duces exercitus imitabitur, qui quamuis in prælio ipsi non pugnent, pugnaturis tamen præsunt, & pro fatigatis integros sufficiunt: atque hoc

modo plus agunt, quàm ſi ſoli ipſi pugnarent. Quod planè ſanctum Valerium Hyponen. epiſcopum per Auguſtinum, & Valerium Cæſaraugustanum, per Vincentium diaconum, eundemque martyrem inuictiſſimum, exequutos fuiſſe diximus. Et hoc noſtro etiam ſęculo, nõnullos cõmemorare poſſem antiſtites, qui hoc idem exemplum ſequuti, nõ ſine magnis ſumptibus doctrinę pabula ouibus ſuis alieno ore miniſtrant. Hac ergo ratione, pro vno concionatore, plures poterit optimus epiſcopus ſubrogare. ¶ Præterea, cum ab epiſcopo tanta ſeueritate prædicandi munus exigo, non prorſus hanc vulgarẽ declamandi rationem, quæ nunc potiſſimum in vſu eſt, exigo: quamuis illam nõ poſſum, non maximopere cõmendare. Hæc.n. partim diuturna conſuetudinæ (quæ aſperrima quæq; mollit, & frangit) partim concionatorũ vitio (quorũ plurimi ad auram ſe popularem magis, quàm ad publicã vtilitatẽ accõmodant) partim vero auditorũ incuria (qui auriũ potiſſimũ voluptatem captãtes, pluris orationem plenam ac teretem, verborum lenocinis, ſermonis ornatum & elegantiã, quàm ſententiarum pondera, & verba diuini amoris flammas aſpirantia, faciunt) multum iam roboris, & acrimonię amiſiſſe videtur. Quid.n. mirum, ſi languentes concionatores, & ad oblectationẽ magis quã ad ædificationẽ populi loquẽtes,

ita audiant, qui prophetas olim spiritu dei ple
Eze. 33. nos hoc modo audierunt? Sic enim dominus ipse ad Ezechielē ait, Audiunt sermones tuos, & non faciunt eos: quia in canticum oris sui vertunt illos: & es eis velut carmen musicum; quod suaui dulciq; sono canitur. Ad hunc ergo modum, quidam hoc tempore ita affecti sunt, vt cum concionem audiunt, non concionatorem audire, sed velut concionatoris persona nam in scena sustinentem, audire videantur; quasi theatrum esset ecclesia; in qua non res, sed rerum simulachra, veritatem imitantia, agerentur. Quare, aliam docendi rationem in episcopo, saltem hoc tempore desiderauerim, quæ minus habeat operis, & plus vtilitatis; quæque tota non ad gratiam, sed ad vtilitatem instituta sit. Constat enim hominum animos, generalibus viuendi præceptis minus commoueri: plurimum verò ijs, quæ specialia sunt, & ad actiones particulares referuntur. Sequatur ergo episcopus genus docendi illud, quod Apostolus in calce omnium, fere epistolarum suarum sequutus est: dum sigillatim cuiuscūq; status homines instruit; modo filios, modo parentes, nunc seruos, nunc dominos, nunc viros, nunc vxores, nunc senes, nunc iuuenes; diligenter quæ cuiq; propria sunt, prçscribens, & Titum episcopum, vt idem ipse faciat mo-
ad Ti. 2. nens, Tu autem (inquit) loquere quæ decent

sanam

sanam doctrinam. Senes vt sobrij sint, pudici, prudentes, sani in fide & dilectione. Anus, similiter &c. Ad hunc ergo modum, episcopus poterit ad particularia virtutum officia, orationis argumẽtum inclinare, paterna charitate, & solicitudine subditos suos adhortando, vt orationi suis temporibus diligenter incumbãt, pios libros legant, verbum dei humiliter, & attente audiant, sacramẽta deuote frequententent, carnem, ne petulanter insolescant, ieiunijs macerent, pauperum curam gerant, pacẽ mutuamq; inter sese charitatem, etiam cum rerum suarum dispendio, retinere curent: rursumq; vt a vitijs se solicite custodiant, præsertimq; a detractionibus, odijs, factionibus, vsuris, impudicis oculis & actibus, & iurandi etiam, maledicendi, & imprecandi praua consuetudine. ¶Doceat etiam qua ratione confiteri, & ad sacram Eucharistiam præparare se quisq; debeat (quę res vt maxime necessaria est, ita etiam latissime patet) qua item reuerentia, & silentio in ecclesia diuinis officijs assistere: quomodo filios famulosq; ad pietatem erudire, qua ratione quantaq; celeritate serpentis antiqui suggestionibus tentationibusq; resistere, qua itẽ cura suam quotidie vitam, & mores examinare debeant. Singula vero horũ testimonijs scripturarum, sanctorumq; patrũ dictis, exemplis, similibus, & figuris adhibi-

tis, illustrari poterunt & confirmari. Quod genus argumentorum tam latè patet, vt cũ semper eadem penè res suadeatur, aliud tamẽ atq; aliud dici videatur. Quæ omnia sedata oratione tractanda mihi esse videntur; quæ quo minus ad vulgarem hanc declamandi rationem accedit, eò plus & grauitatis; & vtilitatis habitura est: vtpote quę ab omni suspitione artificij (quod dicenti fidem abrogat) aliena est.
¶ Sed hæc ad publicas conciones conferunt. sunt autem & priuata colloquia, nempe priuatæ admonitiones, consilia, correptiones, & obiurgationes: in quibus illud Apostoli impletur, Argue, obsecra, increpa, in omni patientia & doctrina. Sunt prætęrea secretæ peccatorum confessiones, in quibus maximè his admonitionibus locus est: quæ hoc tempore tanto sunt vtiliores, quanto pęnitentis animus tũ opera sua, tum etiam sacramenti virtute ad docendum paratior est. Cui officio, qui se destinauerit, verus sine dubio ecclesiæ magister, & minister erit: & miranda dei opera (quę in hominũ mentibus secretò operatur; & quę illum, & in admirationem, & mutationẽ vitę rapiãt) sæpe videbit: quin & Clerici partim singuli, partim vniuersi sæpe vocandi, & officij sui paterna charitate monendi sunt: quod fecit olim Ezechias religiosissimus princeps, qui ascitos ad se sacerdotes & Leuitas, placida atque solicita

2. ad Timo. 4.

licita oratione admonuit dicens, Filij mei, nolite negligere: vos elegit dominus, vt stetis coram eo, & ministretis illi, colatisq; eum, & cremetis ei incensum &c. Si igitur ministros diuini cultus ad officia sua, rex pijssimus his verbis acuebat, quid ergo episcopus diuino cultui præfectus, facturus est? His ergo & alijs rationibus facile erit optimo cuique pastori docendi munus (quod illius maxime propriũ est) exercere. Quòd si ad hanc docendi rationem vita accesserit immaculata, & oratio pro ouibus assidua, tunc illud implebitur quod a domino trina illa repetitione Petro commendatum est, Pasce oues meas. Quam trinam repetitionem diuus Bernardus ad hæc tria boni pastoris officia, referendam esse declarauit: vt videlicet bonus pastor oues suas pascat, primum verbo, deinde exemplo, ac demum oratione: qua assiduis a domino precibus contendat, vt quod ille seminauit verbo, & rigauit exemplo, spiritu ille suo ad incrementum perducere dignetur. *Paral. 2. 19.* *Iohan. 21*

Tertia Pars.

POSTEA quàm de præcipuis prælatorum virtutibus, & officijs dictum à nobis est, superest illud quod ego mihi tertio loco proposueram, nempè, cum tam multa

ad huius officij dignitatem exigantur, cur dominus toties a Petro pastorum principe, solam exigere videtur charitatem, cũ iterum, ac tertio hoc solũ ab eo requirat. Plurima enim alia esse, quæ ad recte munus hoc administrandum requirantur, satis aperte superius demonstrauimus: necessaria enim est prudentia in rebus agendis, solicitudo in prouidendis, labor in negotijs, fortitudo in periculis, misericordia erga pauperes, iustitia in iudicio, studium prædicandi, munus visitandi, cura corrigendi, & cetera quæ supra commemorauimus. Quòd si hæc omnia episcopum verè christianum, & apostolicum efficiunt, cur nihil horum dominus, sed solam iterum, atq; iterum exigit charitatem? Quòd si dixeris præcipuas in episcopo partes obtinere charitatem, recte sane: habeat ergo primum in hoc ipso ordine locum; detur etiam suus scientiæ, atq; prudentiæ locus; sine qua nihil quidem in vita (nedum in ecclesia) rectè potest administrari. Video me, patres amplissimi, profundum pelagum ingressum: intelligo enim extremam hanc orationis meæ partem, apertissimam simul, & obscurissimam esse: apertissimam quidem ijs, qui perfectæ charitatis vim, non quidem legendo vel audiendo, sed amando didicerunt: ceteris vero obscurissimam, similemq; libro illi, quem Esaias propheta litteratis, & illitteratis, ex

Esai. 29.

æquo

æquo clausum esse describit. Vtrisq; igitur hæc pars, superuacanea esse videtur; illis, quoniam apertissima, his vero quoniam clausa prorsus, & inaccessa est. Sed ne nihil in hac tanta re dicere videamur, aggrediar tamen, & rei obscurissimę, quam potero lucem afferre nitar. Principio igitur illud statuendum est, hoc in loco dominum, cum de charitate Petrum examinat, nō de quacumque charitate, sed de ea quæ perfecta est, interrogare. Constat enim multos esse in charitate gradus: charitas enim (ait Augustinus) vt perficiatur, nascitur; cum fuerit nutrita, roboratur; cum fuerit roborata, perficitur; cum ad perfectum venerit, quid dicit? Mihi viuere Christus est, & mori lucrum. Hāc ergo perfectam charitatem, dominus in episcopo requirit: quia cum is non solum ad perfectionem tendere, sed in ipso iam perfectionis culmine esse debeat; perfectio autem omnis in charitatis perfectione sita sit (vt diuus Thomas philosophatur) necesse est, vt qui secundum exigentiam professionis suę perfectus est, perfectam quoque habeat charitatem, sine qua perfectus non est. Quod euidenter quidē alibi Dominus expressit, cum de charitate pastorum loquens, Bonus, ait, pastor, animam suam ponit pro ouibus suis, quod planè perfectæ charitatis est: quia vt idem ipse alibi dicit, maiorem charitatem nemo habet, quàm vt animam

Augu. in 1. Cano. Iohan.
Philip. 1.
S. Tho. 22. q. 184 ar. 6.
S. Thom. ibidem artic. 6.
Iohan. 10
Iohan. 15

animam suam, ponat quis pro amicis suis. Huiusmodi ergo charitatem dominum, a pastoribus in superioribus verbis requisisse, declarat diuus Bernardus his verbis, Non otiose toties repetitum est, Petre amas me in commissione ouium. Ego quidem id significatũ prouide puto, ac si dixisset illi Iesus; Nisi testimonium tibi perhibente conscientia, quòd me ames, & valde perfecte ames, hoc est plusquam tua, plusquam tuos, plus etiam quàm te (vt huius repetitionis meæ numerus impleatur) nequaquam suscipias curam hanc: nec te intromittas de ouibus meis, pro quibus vtiq; meus effusus est sanguis. ¶ Ceterum perfectæ huius charitatis vis quanta sit, neminem (nisi id expertus fuerit) vlla ratione consequi posse, diximus. Vnde idem Bernardus qui tam multa de hac virtute, non tam disputando, quàm experiendo didicerat, vbi amorem, libri Canticorũ materiam esse dixisset, ita ait, Amor vbiq; loquitur: et si quis horum quæ leguntur cupit adipisci notitiam, amet. alioqui frustra ad audiendum legendumue amoris carmen qui nõ amat accedit: quoniam omnino non potest capere ignitum eloquium frigidũ pectus. Quomodo enim græce loquentem non intelliget, qui græcam linguam non nouit, nec latine loquentẽ, qui latinus non est, & ita de ceteris: sic lingua amoris ei qui nõ amat, barbara erit, erit inquam

Bernar. sup Cant.

Bern. super Cant. Ser. 79.

inquã ſicut æs ſonãs, & cimbalũ tinniens. Sed quid mirum, ſi diuini huius amoris vim natura hominis non capiat: qui nec ipſius etiã naturalis amoris vires (niſi fuerit expertus) non aſſequitur. Ageſilaum enim clariſſimum Lacedæmoniorũ regẽ Plutarchus memorat, cũ miro eſſet affectu erga liberos ſuos, arundineſemel pro equo conſcenſa, luſiſſe cũ illis domi, Quod cũ forte ex amicis eius quidã vidiſſet, rogatus ab eo eſt, ne cui quod viderat denũtiaret, quouſq; ipſe parens filiorũ eſſet effectus: haud obſcure ſignificãs, paterni erga filios amoris vim, neminẽ qui pater nõ eſſet, facile comprehẽſurũ. Si ergo amoris huius efficaciã (quę adeo cõſpicua eſſe videtur) nemo niſi parẽs intelligere poteſt: quomodo quis ſuperni illius amoris ignem qui a Spiritusſancto eſt, quiq; omnẽ naturæ vim ſuperat, naturali ſolũ ductu, ſine vlla eius experientia capere poterit? ¶ Sunt tamen ſigna q̃dã, quæ velut ſcintillæ ab hoc igne prodeuntes, vim eius aliqua ex parte indicare poſſunt. Qualis enim erat ignis ille, qui in tot martyrũ ac virginũ cordibus æſtuabat, cũ tanta alacritate ad carceres, ad ignes, ad aculeos, ad gladios, ad ſartagines, & craticulas, & omnia pęnarum genera, propter amorẽ dñi certatim properabãt? Quo igne ardebat Laurẽtius, qui Valeriano varia tormentorum genera minitanti, alacri fronte reſpondit, Infelix, has epulas

Plutar. in Apophth.

ego semper optaui? Et ne ab eius oratione animum degenerasse credas, cum in craticula superpositus vehementer cōbureretur, Isti, inquit, ignes, refrigerium mihi præstant. Quid quęso in medijs flāmis, nisi perfecta charitas, inuenire potuit refrigerium? Qua etiam charitate erat Vincētius, qui ad impijssimum Dacianum similia minitantem, ait, Insurge ergo, & toto malignitatis spiritu debacchare, videbis me dei virtute plus posse dum torqueor, quàm possis ipse qui torques? Qua erat etiam charitate gloriosus martyr Ignatius, qui dum Romam bestijs obijciendus asportaretur, ipsas immanes bestias, velut charissimos amicos, his vocibus compellabat. O salutares bestias, quę pręparantur mihi, quando venient? quando emittentur? quando eis licebit frui carnibus meis? Quas ego opto acriores fieri, ne fortè (sicut in nonnullis fecerunt) vereantur contingere corpus meum. Quòd si venire noluerint, ego vim faciam vt deuorer. Ignoscite mihi filioli, ego scio quid expediat mihi. nunc incipio esse discipulus Christi. Quibus verbis quid excogitari potuit, aut amantius, aut volentius? Qualis etiam erat Pauli charitas, qui ad Philippenses ita scribit, Sed etiam

Phil. 2. si immolor supra sacrificium & obsequium fidei vestræ, in hoc gaudeo & congratulor omnibus vobis. Idipsum vos congaudete, & congratula-

gratulamini mihi. Quis quæso tale genus gratulationis, & gaudij, aut legit, aut vidit vmquam? quis hic diuinam virtutem, & potestatem non agnoscat? quis non videat omnia penè iura sua hic amisisse naturam? ❡ Ceterum ex hac uehementissima in deum charitate, similis (velut a perenni quodam fonte) oritur amor in proximũ, non tamquam in aliquid alienum, & peregrinum a deo: sed tamquam in aliquid diuinum, quodq; sub eandem cadit diligendi rationem. Sunt enim proximi, non modo creaturæ dei, ad ipsius imaginem conditæ: sed etiã serui, sed domestici, sed filij, sed membra eius, de carne eius, & de ossibus eius. Hinc totus ille fons amoris, qui recta tendebat in deũ, protinus a deo in homines, tamquam in aliquid diuinum, eodem impetu fertur. Hinc illa mirabilis sanctorum aduersus proximos charitas, quæ pro ipsorum salute libenter mortem, extremaq; omnia pati, paratissima erat. Hæc igitur paucis de charitatis vi, ac potentia dicta sint, nunc ad rem. Hanc ergo charitatem, aut penè parem, dominus ab ijs exigit, quibus animarum curam cõmisit, quæ vt maximo pretio emptæ, ita maxima cura procurãdæ sunt. Hanc enim a Mose requisiuit, vel eodem ipso Mose testante, qui ad ipsum dominum quæritur dicens, Numquid ego concepi omnem hanc multitudinem, aut genui eam, vt dicas mihi,

Ephe. 4.

Num. 11.

porta eos in sinu tuo, quasi gestaret nutrix infantulum? Eandem enim præstitit apostolus, qui cùm sæpe alias, tum ad thessalonicenses scribit in hunc modũ, Facti sumus paruuli in medio vestri, tamquam nutrix, quæ foueat filios suos: ita desiderantes vos cupidè, volebamus vobis tradere non modo euangelio, sed etiam animas nostras: quoniam charissimi nobis facti estis. Quibus verbis quid dici potuit amantius? nec solum apostoli, sed sancti etiam pontifices, & apostolici viri hanc eandem proximis dilectionem exhibuerunt. Sic enim diuus Ambrosius ait, Non minus vos diligo, quos per euangelium genui, quàm si coniungio suscepissem: non enim vehementior ad diligendum est natura, quàm gratia. Hanc ergo dilectionem dominus hic a Petro exigit, cum ait, Simon Iohannis diligis me plus his? pasce oues meas. Quod perinde est, ac si diceret, O Petre, si vere, & ex animo diligis me, si nominis mei gloriam illustrare desideras, si oues meas, quarum salus, vita ipsa mihi charior fuit, (vt par est) diligis, si denique teipsum totum, tot nominibus mihi debes, mihiq; aliqua ex parte gratificari, & amori meo vicem rependere cupis, pasce oues meas, quas ego fuso sanguine meo paui: quia dum illas pascis, me in illis pascis, me impinguas, me alis, mihiq; ipsi confers, quicquid in illas impendis.

1. ad. Thessalon. 2.

Ambros. de offic.

Iohan. 21.

Ego.n.ille ipse sum, qui olim dixerã, Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Et illud, Hæc requies mea, reficite lassum, & hoc meũ refrigerium. Etsi mihi tributũ esse puto, quod in meorum corpora impensum est; alienum esse putabo, quod mentibus, pro quibus libẽter animam posui, impendatur? Diligenter verò, domini verba notanda sunt. non enim ait, si diligis oues meas, pasce illas; quod planè consequi videbatur (vt videlicet ex ipsa dilectione, dilectionis opus, & beneficiũ consequeretur) sed ait, si diligis me, pasce oues meas. quasi dicat, Si me amas, & ea pariter, quæ mea sunt, amare debes: nihil autem præter me ipsum magis meum est, quàm oues meæ; quas ego ipsa mea carne paui; sanguine potaui, & morte ad vitam reuocaui. Si ergo nihil magis meum est, quàm vita mea, quantopere id meum erit, pro quo ego ipsam vitam meã impendi? Quisquis ergo huiusmodi charitate flagrat, quo ardẽtius dominum diligit, eo vehementius ad proximos conuertitur, ac totam illam charitatis vim, qua in dei obsequium fertur, fertur in proximum. Animaduertit enim, nihil minus pro illorum salute se esse facturum, quàm is fecit, qui eos illi tantopere commẽdauit. intelligitq;, vel ex hoc nullum ei obsequiũ gratius futurũ, quàm si diligentissimè curare studeat, quod tanto ille studio curandum suscepit.

Mat. 25.

Esa. 28.

Meminit enim a diuo Dionysio dictum esse, omnium diuinorum diuinissimũ esse, cooperari deo, in reductione animarũ ad ipsum. Cui consentit, & illud Greg. nullum esse videlicet sacrificium deo gratius, cura animarum. et rursum, Ille (inquit) in amore dei maior est, qui ad eius amorẽ plurimos trahit. idem quoq; alibi, Tunc mirabiliter ĩ altum charitas surgit, cum ad ima proximorũ se misericorditer inclinat: & quò benigne descendit ad ima, eo valentius recurrit ad summa. Ad hæc, ipsam etiã animarum dignitatẽ, mirabilemq; pulchritudinem, sibi ãte oculos proponit; quæ vehementer optimi cuiusq; pastoris animum, ad ipsarum amorem, & curam acuit. Hinc de beata Catherina senen. legimus, quòd aliquando, cum forte iuxta domum illius concionator quidam transisset, domum egressa, eius impressa humo vestigia osculari cępit; rogataq; cur id faceret: quia pulchritudinem (inquit) animarum in gratia degentiũ, mihi dominus velut spectandam proposuit: quo factum est, vt continere me vix possim, quin vestigijs eorum, qui purificandarum animarum curam gerunt, oscula figam, & cum propheta clamem, Quàm speciosi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona. Cum igitur omnia hæc fidelis pastor studiose consideret, tanta in eius pectore charitatis flamma erga animarum salutem

Grego. super Ezechielem.

Grego. in homil.

Idem in Pastora.

Esai. 52.

tem excitatur, vt totus ferueat in earum salute procuranda: nihilq; sit illi tam charum, & pretiosum, quod huic negotio anteferendum putet. Hinc diuus Bernardus ait, Hoc vera, & casta cõtemplatio habet, vt mentem, quam diuino igne vehementer succenderit, tãto interdum repleat zelo, & desiderio acquirendi deo, qui eum similiter diligant, vt otium cõtemplationis pro studio prædicationis, libentissimè intermittat. Huius autem vehementissimi ardoris, ac desiderij typum, nobis exprimit sancta illa mulier, quæ in Apocaly. Iohannis visa est amicta sole, & calciata luna, stellisq; ardentibus coronata, quæ tamen cruciabatur, vt pareret: per quod nobis ardentissimum ecclesiæ desiderium (quo propagandæ religionis, spiritualisq; sobolis augendæ flagrabat) cruciatibus, ac dolore partus significatur. Hoc enim desiderio flagrabat apostolus, qui nullum pro animarum salute discrimen recusaturum se esse testatur, cum ait, Ego autem libentissimè impendar, & superimpendar ipse pro animabus vestris: licet plus vos diligens, minus diligar. Quo quid dici potuit amantius? Non enim vnam tantum vitam quàm habebat, sed innumeras etiam si haberet vitas, libenter pro illorum salute expositurus fuisset. Hoc enim significat, cum ait, Ego autem non modo impendar, sed etiam (si quid aliud post vitam super

Apoc. 12

2. Cor. 12

esset) libentissime propter vestram salutem super impenderem: etsi vos huic amori meo vicem non rependatis: quia non quæro, quæ vestra sunt, sed vos: nec tam de vita mea, quàm
Thes. 3. de vestra solicitus sum: quia nūc (ait) viuimus, si vos statis in domino. Ad eundem etiam modum de beatissimo Dominico patre nostro legimus, quod totus liquefieret, arderetq; quasi facula, pereūtium animarum zelo, & amore succensus. Quo quidē zelo ductus, prædicatorum ordinem primus excogitauit: qui totus vni huic studio esset intētus. Sed hæc tamen adhuc longe minora charitatis indicia sunt, si cum
Rom. 9. ijs, quę Paulus ad romanos scribit cōferantur, Veritatem (inquit) dico: non mentior, testimonium mihi perhibente conscientia mea in spiritu sancto: quoniam tristitia mihi magna est, & cōtinuus dolor cordi meo. optabam enim ego ipse anathema esse a Christo, pro fratribus meis, &c. Vide quæso, quo illum vis amoris Christi vehementissima perpulit. Ex eodem enim charitatis fonte, atque habitu procedit dei, & omnium, quę ad deum pertinent amor: quemadmodū ex paterno erga filium amore, non solum amor filij, sed omnium etiam quę filij sunt deriuatur. Cū ergo nihil magis ad deum pertineat, quàm ipsius gloria, & animarū salus; quia ipse vitæ suæ dispēdio cōparauit: hinc apostolus (cuius pectus tāto Christi amore flagrabat,

grabat,

grabat, vt ab eius illũ charitate, neq; terrestria, neq; cælestia, neq; infera, aut supera separare possent) modo tanta eius gloriæ, salutisq; animarum charitate succensus est, vt non modo velit, sed etiam optet (si quidem fieri posset) nõ quidẽ a dilectione Christi (propter quam hoc ipsum optabat) sed a delicijs paradisi, & a fruitione Christi, excidere, propter ipsum. quo quid dici potuit mirabilius? Quia vero hoc omnem hominum fidem, & charitatem etiam superare videbatur, ideo prius se grauissimi iuramenti religione constrinxit, vt vera esse, quæ diceret iureiurando confirmaret. Sed tamen quod communi hominum charitati erat impossibile, hoc apostolicæ charitati erat optabile. Similem charitatis affectum sanctus etiam Moses expressisse videtur, cum pro adorati vituli piaculo, dominum orans, ait, Aut dimitte eis hanc noxam; aut dele me de libro tuo, i quo scripsisti me. qui planè nullus alius erat (quamquã sint qui dissentiant) quàm idẽ ille de quo statim dñs ait, Qui peccauerit mihi, delebo eum de libro meo. neq; enim peccantes aliunde, quàm ex libro sempiternæ vitę deleri solent. Idem igitur optat, quod apostolus optauit, simili charitatis ardore succensus. Qui enim tam mirabili dei dilectione flagrabat, tanto etiam charitatis igne in filiorum dei amorem rapiebatur, vt nihil malorum, aut

Rom. 8.

Chryso. super. 9. ad Rom.

Exod. 32.

Exod. 32

cruciatuum, vel in hac, vel in futura vita pro illorum salute recusaret. verum de his hactenus. His igitur ita constitutis, facile est ad propositam initio quæstionē respondere. Si enim tanta perfectæ charitatis virtus est, tantoq; illa studio saluti animarum intenta est, nō ergo mirum si tanta religione dominus iterum, atq; iterum hanc vnam exigit virtutem: quæ vel sola, vel pene sola, quicquid ad hoc ministerium requiratur, præstare potest. Quemadmodū enim Demosthenes interrogatus, quę esset prima orādi pars, actionē esse dixit; & de secunda rogatus, ac tertia; eādem rursus, & secundam, & tertiam esse confirmauit; vt per hoc, nō alia quidē orationis ornamēta damnaret, sed vt dignitatē huius inter ea designaret: ita planè dominus, nō vt alias virtutes excluderet, sed vt charitatis principatum inter ceteras ad regendi officium declararet, hoc schemate orationis vsus est, quæ & plurima ad hoc munus adiumenta præbet, & omnia quæ requirūtur, miro modo perficit, & illustrat. Quamobrem, sicut diuina prouidentia, quæ patres voluit diligentissimā educandorum filiorū curam gerere, vehementissimum eorum animis filiorum amorem ingenerauit, quo vno naturæ beneficio, omnia quę ad ipsorum educationem institutionemq; pertinent, collata illis esse videntur: ita eadem prouidētia (quæ eundem ferè tenorem in

operibus

operibus gratiæ retinet ac naturæ) cum epiſcopos eccleſiæ ſponſos, & ſpirituales fidelium patres eſſe voluiſſet, eandem ſanè charitatem, quam illic donauit, hic exigit: vt ſimili cura, ſtudioq́; vtrique parẽtes filiorum ſuorum educationi ſe totos addicerent, & conſecrarent. Quid autem eſt, quod ad filiorum carnis educationem parentibus non præſtet vehemens ipſorum amor? quid non facit, quid non ſuſtinet in paruuli educatione ſedula, & officioſa mater, dum illum lactat, dum blanditur, dum lauat, dum veſtit, dum a lachrymis compeſcit, & ad ſoporem, aut luxum, hilaritatemq́; inuitat? Quoties vero totas noctes inſomnes libenter ducit, vt quemuis pueri dolorem leniat, vt vagientem mulceat, vt lactet, ceteriſq́; illius rationibus conſulat? Si denique filium, materno ſanguine ali oporteret, non dubito materna viſcera, pro lacte ſanguinem præbitura: quando ipſæ quoq; mutæ, & irrationales aues, in naturale paternæ pietatis argumentum, hoc ipſum facere perhibentur. Cum ergo multa ſint, quæ ad perpetuam filiorum educationem (quæ tota penè parentum vita durat) neceſſaria eſſent, breuiſſimam ad id amoris viam, natura excogitauit: quo vno præſtito, omnia ſimul præſtitiſſe videtur. Quã ipſam compendiariam viam, & ad animarum ſalutem proximã, gratia ſecuta eſt: quippe quę eundem

cum

cum natura habet auctorem. Si ergo spirituales patres simili, aut vehementiori etiam amore erga spirituales filios afficiantur; quis dubitet eos simili studio, & contentione in ipsorum educatione, omnem operam esse collocaturos? Quid enim ad promouendam filiorum salutem necesarium, negligere poterit verus amor? quem laborem recuset? quid non moliatur, & patiatur, si vere amat; vt ab æterna morte reuocet, quos amat? Si huius rei gratia necesse sit vigilare, si laborare, si opes expendere, si aduersus huius sęculi potẽtes decertare, si multorum odia inuidiamq; subire, si longa itinera peragrare, si morti corpus, & cetera omnia periculis offerre, si deniq; opus sit omnia illa,
2.*Cor.*11 quæ apostolus ad corinthios cõmemorat, propter euangelium perpeti, nempe nuditatem, inediam, frigora, ieiunia, flagella, carceres, vincula, & varia terræ, marisq; pericula subire, libenter sane totum hoc certamen charitas certabit, ac deniq; in omnes se figuras fundet, atq; omnibus omnia fiet, vt omnes faciat saluos. Hæc enim est, quæ i apostoli pectore excitauit, *Galat.* 4. eum ad galatas dicere cõpellebat; Vellem esse apud vos modo, & commutare vocem meam, quoniam confundor in vobis. Quibus plane verbis acerbissimam anxietatem, æstumq; animi sui, a charitatis igne prodeuntem, apertissime significauit: a quo vehementer extimulatus,

tus eos protinus adire voluisset, vt eos argueret, moneret, increparet, obsecraret, & non solum varijs fidei argumentis, & verbis, sed etiã gestu ipso, & actione corporis in tot se figuras verteret, quot curis angebatur: vt eos tandem ad meliorem mentem reuocaret. Quid verò, hæc omnia, nisi ardentes flammas dixeris, ab immensæ charitatis ignibus prodeuntes? Hoc enim, vel maximè proprium charitatis est, vt quoniam virtutum omniũ regina est, eas omnes auctoritate imperij sui (quoties opus fuerit) ad operandum inducat. Quo fit, vt quemadmodum cælestis ille orbis extimus, cui reliqui oẽs subiecti sunt, suo motu, atq; impulsu ceteros rapit: ita charitas (quæ virtutum omnium princeps est) vbi in aliquid vehementer intentã est, omnia secum virtutũ officia trahit. Hinc tam multa à sacris doctoribus, i laudẽ eius merito coguntur. Ait n. Aug. Charitas in aduersitatibus tolerat, in prosperitatibus temperat, in duris passionibus fortis, in bonis operibus hilaris, in tẽtatione tutissima, in hospitalitate latissima, inter veros fratres lætissima, inter falsos patientissima est. Charitas inter opprobria secura est, inter odia benefica, iter iras placida, inter insidias innocens, in iniquitate gemens, in veritate respirans, in virtute congratulans. hactenus ille. Quę tamen latius, atq; sublimius persequitur diuus Gregorius in hunc modum.

Augu. de lau. char.

Cum

Grego. in Moral. li. 10.

Cum vna eademq; sit charitas, si mentem plenè ceperit, hanc ad innumera opera multiformiter accendit. Cuius sententiæ rationem persequitur his verbis. Charitas enim cogitat, vt ea alteri faciat, quæ ipsa sibi fieri ab altero expectat. pensat ergo, vt malis bona, & bonis meliora rependat: vt erga procaces mansuetudinē longanimitatis exhibeat: vt mali tiæ peste languentibus, gratiam benignitatis impendat: vt discordes in pace muniat; vt cōcordes ad concupiscentiam veræ pacis attingat: vt indigentibus necessaria tribuat: vt errātibus viam rectitudinis ostendat: vt afflictos verbo, & compassione mulceat: vt accensos in huius mūdi desiderijs, increpatione restringat: vt minas potentium ratiocinatione mitiget: vt oppressorum angustias, quāta præualet ope leuet: vt foris resistentibus opponat patiētiam: vt intus superbiētibus exhibeat cum patientia disciplinam; vt erga errata subditorum, sic mansuetudo zelum temperet, quatenus a iustitiæ studio non eneruet; sic ad vltionē zelus ferueat, ne tamen pietatis limitem feruendo transcendat: vt ingratos beneficijs, ad amorem prouocet: vt gratos quosq; ministerijs ī amore seruet; vt proximorum mala cum corrigere non valet, taceat; vt quæ corrigi loquendo possunt, silendo consensum esse pertimescat: vt sic ea quæ tacet toleret, ne tamen in animo virus doloris occul-

tet: vt sic maleuolis munus benignitatis exhibeat, ne tamem per gratiam a iure rectitudinis excidat, vt cuncta proximis quæ prævalet impendat: sed hæc impendendo non tumeat, vt sic in bonis, quę exhibet tumoris præcipitium paueat, ne tamen a boni exercitio torpescat: vt sic, quæ possidet tribuat, quatenus quanta sit largitas remunerantis attendat, ne cum terrena largitur, suam plusquam necesse est inopiam pertimescat, & in oblatione muneris hilaritatis lumen tristitia obscuret. hactenus aurea diui Gregorij verba. Ex quibus merito infert, quod ante diximus, nimirum vnam esse charitatem: quæ tamen ipsam quodam modo dei naturam imitari videatur: qui cum vnus, & idem sit, in hac tamen vnitate, atq; indiuidua simplicitate, infinitas, multiplicesq; virtutes ambit. Quod plane de ipsa charitate non modo diuus Gregorius, sed apostolus etiam aperte significauit, cum in charitatis encomium totus effusus, ita ait, Charitas patiens est, benigna est: charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit, quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati: omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. Quem locum diuus idem Gregorius in eodem libro, in hunc modum interpretatur, Patiẽs quippe est cha-

1. Cor. 13.

Grego. in Moral. lib. 10.

est charitas, quia illata mala æquanimiter tolerat. benigna verò est, quia pro malis bona largiter ministrat. non æmulatur, quia per hoc quòd in præsenti mundo nil appetit, inuidere terrenis successibus nescit. non inflatur, quia cum premium internæ retributionis anxia desiderat, de bonis se exterioribus non exaltat. non agit perperam, quia quo se in solũ dei, ac proximi amorem dilatat, quicquid a rectitudine discrepat ignorat. non est ambitiosa, quia qui ardenter intus suarum rerum satagit, foris nullatenus aliena concupiscit. non quęrit, quæ sua sunt, quia cuncta quę hic transitione possidet, velut aliena negligit: cũ nihil sibi esse proprium, nisi quod secum permaneat agnoscit. non irritatur, quia iniurijs lacessita, se ad nullos suæ vltionis motus excitat: dum pro magnis laboribus, maiora post præmia expectat. non cogitat malum, quia in amore munditiæ mentem solidans, dum omne odium radicitus eruit, versare in animo quod inquinat, nescit. non gaudet super iniquitate, quia quo sola dilectione erga oẽs inhiat, nec de perditione aduersantium exultat. congaudet autem veritati, quia vt se cæteros diligens, per hoc quod rectum in alijs cõspicit, quasi de augmento proprij profectus hilarescit. hactenus ille, non minus certè eleganter, quàm grauiter. Videtis ergo, patres, quàm multa præstet vna charitas?

Fateor

Fateor tamen inueniri indoctam charitatem, & sanctam rusticitatem; quæ ab episcopo longè abesse debet: vtpote qui ecclesiæ oculus atque magister est. Talis enim is esse debet, vt de eo merito dici possit, quod olim de Iohãne dictũ est, Ille erat lucerna ardens, & lucens: quia *Io. 5.* non solum ardere per charitatem, sed etiam lucere per doctrinã debet. Est enim (vt diuus Bernardus ait) tantum lucere, vanũ: tãtum ardere, parum: lucere tamen, & ardere, perfectũ, quod propriè episcoporũ est. Ea tamen perfectæ charitatis vis, atq; præstantia est, vt non defuerint olim in ecclesia clarissimi, atq; sanctissimi præsules, qui minus litteris valuerunt: quoniam quod scientię deerat, charitatis magisterio suppleuerunt. Sic enim D. Martinus clarissimum pontificem egit; qui merito præsulum gemma dictus est: quamuis non tam litteris, quàm virtutibus clarus extiterit. Nec minus feliciter diuus Franciscus munus hoc administrasset, quamuis litterarũ ope destitutus esset: vt qui mercaturæ magis quàm litteraturæ, in adolescentiam operam dederit. Quæ nõ eo consilio a me dicuntur, vt aliquid de sciẽtiæ dignitate, vel necessitate detraham, quam supra in præcipuis episcopi virtutibus connumeraui (cum præsertim id, tam anxiè a sacrosancta tridentina synodo requiri videam) sed vt, vel his duobus exemplis euidenter appareat, quantum

vita

vitę sanctitas, & charitas momenti ad hoc mũnus allatura sit, quæ penè sola tot olim clarissimos pontifices ecclesiæ dedit, atq; ita minus mirabile sit, vnam hanc virtutem toties a dño in Petro, ad pascẽdas oues fuisse quæsitam.

II.

Quãtum Charitas adquíque precipuas episcopi partes cõducat.

VERVM, vt hoc ipsum euidentius appareat, breuiter ea quæ ad optimum episcopum constituendum requiri supra diximus, ad memoriam reuocemus, perpendamusq; quomodo illa omnia, vel præstet charitas; vel certè adiuuet vehementer, & illustret. Principio enim, sanctitatem ipsam, quam præ ceteris requiri diximus, charitas præstat. Si enim qui perfectè legem Dei implet, sanctus est, & plenissimè eam implet quisquis perfectè diligit (cùm plenitudo legis sit dilectio) quisquis ergo ĩ charitate perfectus est, in sanctitate etiam perfectus est, quemadmodum paulo ante ex diui Thomæ testimonio cõprobauimus. ¶ Ad prudentiam verò, quæ secundo loco exigitur, maximè etiam iuuat eadem charitas, quæ vt auidissimè desiderat finem (hoc est animarum salutem; quæ episcopalis officij finis est) ita etiam amore extimulata, acutissimè ea omnia perspicit, per quæ in optatissimũ perueniatur finẽ. Quid.n. est, vel in rebus humanis, vel in ipsis etiã artibus, quod non inuenerit, aut excogitauerit amor? Quot enim lucrãdi artes immodicus

Rom. 13.

dicus pecuniarum amor, & sacra auri fames, quot genera deliciarum gula, quot fraudes ambitio, quot tormentorum, armorumq́; species dominandi libido, quot deniq; improbus, & inhonestus amor, fallendi, atque abditissima quæque claustra irrumpendi, artes excogitauit? Hinc Poetæ dicere licuit, largitorem ingenij ventrem esse: hoc est, ventris vel cupiditatem, vel necessitatem: quæ duo, omnes penè mundi artes adinuenerunt. His enim duobus velut calcaribus homines incitati, fame videlicet & cupiditate, quid non excogitarunt? quid non periclitati sunt, aut inuenerunt? Est enim vehementissimus quidam aculeus, & veluti calcar amor ipse, qui quandiu re amata non potitur, nullo modo conquiescit: sed totus in excogitandis rationibus est, quibus tandem suis delicijs perfruatur. Sic Themistoclem clarissimum atheniensium ducem, insomnes sæpe noctes ducere solitum ferunt: quòd eum a somno, clarissima Melciadis trophæa excitarent: dum ipse qua ratione illius gloriam, vel æquare posset, vel superare, tam diligenter animo versat, quàm ardẽter cõcupiscit. Denique non defuerunt etiam inter philosophos, qui amorem, omnium rerum humanarum principium esse definirent: adeò amoris proprium est multa, & excogitare, & inuenire. Quòd si abiectissimarum rerũ amo-

tes tantopere ingenium, ad abditissima quęque peruestiganda acuunt, quid diuinarum rerum amor, non a corrupta natura, sed a diuina gratia profluens, non excogitabit, vt id tandem assequatur, quod vehementer amat? Hinc diuus Ambrosius, nihil esse vera pietate ingeniosius ait; quæ vt ijs subueniat quos amat, nihil non agit, nihil non inuenit, nihil non molitur. Quid enim est, quod pietas, charitatis aculeo excitata non deprehendat, vt prosit; quando tanta quotidie humana malitia excogitat vt obsit? Commemorare possem hoc in loco, quas nonnulli huius ætatis religiosissimi præsules rationes inierint, vel vt inopię pauperum subuenirēt, vel vt rudiores ecclesiæ ministros erudirent, vel vt adolescentiores bonis moribus imbuerent, vel vt ignorantem populum per agros, & villulas dispersum, publica saltem lectione (quando prædicationis copia non suppetebat) instituerent, vel vt fideles ipsos (impetratis ad hoc ab apostolica sede indulgentijs) ad sacramentorum frequentiam incitarent. Quis autem hæc omnia (quę vel in dessuetudinem abierant, vel inuenta nondum erant) nisi ingeniosa charitas, feruensque salutis animarum desiderium adinuenit? Ignescat ergo charitas, & rutilans intelligentię flamma non deficiet. nec enim aut sine luce ignis, aut sine intelligentię lumine charitas inuenitur.

¶ Nec noua ſolum prudenter excogitare, ſed ijs etiam quibus præfecta eſt, ſolerter prouidere charitas nouit. Quo enim quis diligit vehementius, eo etiam proſpicit attentius, vt omni ratione profit ijs, quos ardẽter diligit. Hinc Bernardus ait; O bona mater charitas, quæ ſiue foueat infirmos; ſiue exerceat prouectos, ſiue arguat inquietos; diuerſis diuerſa exhibens, ſicut filios diligit vniuerſos: cum te arguit, mitis eſt: cum blanditur, ſimplex eſt: pie ſolet ſæuire, ſine dolore mulcere: patienter nouit iraſci, humiliter indignari. Sic etiam Apoſtolus amore ſalutis hominum incenſus, omniũ ſeſe ingenijs, moribuſq; prudenter accommodabat? vt charitatis vinculis illaqueatos, ſecũ traheret ad ſalutem. Nam cum liber eſſem (ait) ex omnibus omnium me ſeruum feci, vt plures lucrifacerem. Et factus ſum iudæis tamquã iudęus, vt iudæos lucrarer. factus ſum infirmis infirmus; vt infirmos lucrifacerem. Omnibus omnia factus ſum; vt omnes facerem ſal uos. Vides ergo, quàm prudenter omnibus ſe ingenioſa charitas accommodare ſciat? Quòd ſi paſtoralem ſolicitudinem, & diligentiam in epiſcopo requiras, quid magis, aut ſolicitum, aut actuoſum, quàm amor? Nec enim temere Poeta dixit, Res eſt ſoliciti plena timoris amor. Quia enim amor cęterarum omnium affectionum radix, & origo eſt; hinc ceteri affectus

Bernar. in Epiſt.

1. *Cor.* 9.

omnes, ab hoc fonte prodeuntes, mensuram eius ita referunt, vt si magnus fuerit amor, magna etiam sit: in procuranda re amata solicitudo: in custodienda, cura: in periculo eius, timor: in obsequio, diligentia: in iactura, dolor: & in fructu, lætitia. Cum enim amare aliquid (vt Arist. definiuit) sit ei bene velle, necesse est, vt re quæ diligitur incolumi, sequatur lætitia: amissa vero, tristitia: periclitante autem, timor, & solicitudo, & solicitudinis filia diligentia; quæ nulla ratione aut somnum capere sinit, aut quietem, donec tandem aliqua ratione dilecti periculo succurrat. Affectui enim prædominanti (vt est in proloquijs philosophorum) omnia famulantur. Nec ea solũ pericula verus amor timet, quæ aut proxima, aut vera pericula sunt: sed ea etiam quę longe distant, aut quæ vix vnquã futura sunt.

Bernar. in epistol. Hinc diuus Bernardus ait, Mens quam semel affecerit charitas, sui iuris esse non sinitur: metuit quod nescit, dolet quod non oportet, solicitatur plusquam voluerit, & vnde noluerit. Quomodo ergo qui vere amat, inter vera pericula quietus erit, qui periculorum etiam vmbris sæpius commouetur? Denique sapienter a Platone dictum est, Amore captus, in proprio corpore mortuus est, viuit in alieno. Hic enim velut tyrannidem exercet, in eo quem perfecte possidet. Hinc est, quod sui prorsus

oblitus,

oblitus, alteri seruit, alteri militat, de alterius salute solicitus est, ac deniq; sibi mortuus, alteri viuit, dum omnes curas, & cogitationes suas, se neglecto, in alterum transfert: dilectiq; solum commoda, cum suis etiam incommodis aucupatur. Solicitudinē fortitudo sequebatur, quæ tum ad ferenda aduersa, tum ad ardua aggredienda, & ad omnes pastorali officij labores perferendos, animo perstat. Quid vero aliud est, quod ad hæc omnia magis animū roboret, quàm amor? Ex philosophia enim didicimus, inter omnes causas, quæ ad agendum aliquid impellunt, primam ac præcipuam esse finem: qui propterea causa causarum dicitur; quia omnes alias mouet, & ad operandum impellit. Mouet vero imprimis effectricem, dum cognoscitur & amatur: & quò vehementius amatur, eo etiam vehementius ad agendum impellit: atq; ita pro magnitudine amoris, est etiam fortitudinis magnitudo, adeo vt frequēter is, qui operatur imbecillitatis suæ immemor, non pro facultatis suæ, sed pro amoris magnitudine, quæ supra se posita sunt amore decipiente aggreditur. Quid enim inter animantia omnia gallina, aut meticulosius, aut infirmius est, vtpote quæ nec domestica consuetudine, nec quotidianis beneficijs cicurare possit? Quæ tamen si filios quis inuadat, adeo incandescit & sæuit, vt nec homines, nec feras,

nec vlla etiã tela propter eos reformidet. Quid vero aliud efficit, vt innumeri mortalium terra mariq; labores perferant, tantas strages, tam horrendas armorum congressiones, sanguinolentaq; bella sustineãt; nisi vehemẽs alicuius dilectæ rei amor? Quid Alexandrum illum macedonem, quid Iuliũ Cæsarem, aliosq; clarissimos imperatores, tot subire discrimina, tot adire labores impulit, nisi insatiabilis regnandi libido? Contra vero, quis Herculem monstrorum orbis domitorem domuit, nisi amor? Aut si hoc fabulosum est, quis Sanso-

Iudi. 16. nem illum, quem nec agmina philistæorũ vincere, nec vincula ligare, nec ferreæ portæ includere potuerunt, eneruare, ligare, atq; hostium suorum ludibriũ facere potuit, nisi Dalidæ suæ amor? Et si a figuris ipsis, ad ea quæ figuris expressa sunt gradum facimus, quis fortissimum illum rhinocerotem Christum vinculis constrinxit, ad columnam ligauit, in cruce appendit, tumuloque condidit, nisi amor? Vt cognoscat (inquit ipse) mundus, quia diligo Patrem, surgite eamus hinc. Quo Domine? nimirum ad crucis supplicium, per quod charitas mea erga Patrem, hominumque salutem mundo declaranda est. Vides hic quanta sit amoris vis, quæ vicit inuincibilem, ligauit omnipotentem, tumuloque illum inclusit, qui omnia continet, vt aperto

ingenio-

ingeniosus Poeta dixerit, amore omnia superari. & illud item, Improbe amor, quid non mortalia pectora cogis? sed hæc improbus: quid vero probus & castus? nimirum id, quod diuus Chrysologus ait, Nil durum, nil amarū, nil graue, nil letale computat amor verus. Quod ferrum, quæ vulnera, quæ pœna, quæ mortes amorem præualent separare perfectū? Amor est impenetrabilis lorica, respuit iacula, gladium excutit, periculis insultat, mortem irridet: si amor est, vincit omnia, nec solum vincit, sed quod mirabilius est, certando non succumbit, pugnando non laborat, nec laborando fatigatur. Hinc diuus Augustinus ait, Verus amor non sentit amaritudinem, sed dulcedinem: quia soror amoris dulcedo, sicut soror odij amaritudo. Et rursum, Qui amat, non laborat: omnis enim labor non amantibus grauis est: solus amor est, qui nomen difficultatis erubescit. Hinc diuus Bern. ait, Seruite in charitate illa, quę timores expellit, labores nō sentit, meritū non intuetur, præmiū non requirit: & tamē plus omnibus vrget. Deniq; (vt recte diuus Gregor. philosophatur) adeo charitatis propriū est libenter propter id quod diligit labores perpeti, vt (quemadmodum de fontibus aquarum dici solet, tantum scaturientes aquas sursum agi posse, quantū sublimis sit fons, a quo deriuantur) ita plane de amore dici

Pet. Raue. in ser.

Aug. 13. Confeß.

Idē, ibidē

Bernar. de præcep. & dispen.

possit, vt quanto quisque amore sit accensus, tanta sit fortitudine ad ferendos labores instru-
Grego. in Homil. ctus, Sic enim ait; Quantum quisque proximum amat, tantum portat: si amas, portas: si desiisti amare, desiisti portare. Quod si ita est, quid ergo magis ad fereda pastoralis vitæ onera iuuare poterit, quàm vehemes salutis ouiũ amor? Sicut enim pia mater libenter paruulũ gestat in vlnis, quia prius gestauit in visceribus: ita planè spiritualis ecclesiæ pater, prius in corde per charitatem gestare debet, quos per patiētiam foris portare tenetur. Quod appositissima olim dominus figura expressit in
Exo. 28. lege, quando inter ornamenta pontificis, rationale & superhumerale fieri præcepit; quorum alterum pectus, alterum verò pontificis humeros tegeret: vtrumq; verò duodecim filiorum israel nomina, lapillis cælata ferebat; & ansulis quibusdam alterũ alteri colligabãt: ne videlicet a se inuicem rationale, atq; superhumerale separarentur; sed alterum alteri necteretur. Quis quæso diuinæ prouidentiæ cõsilium, in huius operis fabrica non miretur? Euidenter enim hoc cælesti symbolo admonere pontifices voluit, vt eos omnes, quorum in pectore, atque in humeris cælata gestabant nomina, & in corde per amorem, & in humeris per patientiam portare niterentur: quorum tamen alterum ex altero pendet; quia nimirum

ex eo

ex eo, quòd spirituales filij per amorẽ gestantur in corde, libenter etiam per patientiam gestantur in corpore: quia (vt rectè diuus Bernardus ait) in eo quod amatur, aut non laboratur, aut ipse etiam labor amatur. Propter hoc ergo rationale, & superhumerale inter se mutuo colligãtur: quia nec sine patientia charitas, nec vlla sine charitate potest esse patientia. Videtis ergo, patres, quantum ad omnes pastoralis curæ solicitudines, ac labores charitas iuuet? Quod tamen adeo late patet, vt meritò Cicero dixerit, Sine studio & ardore quodam amoris, nihil quicquã in vita fit egregiũ. *Cicero. 1. de Orat.*

POST fortitudinem quinto loco scientiã connumerauimus; sine qua episcopale ministerium veluti mancum, & imperfectum esset. Hanc fateor solo charitatis studio comparari non posse; quamuis per eam magnopere, & illustretur, & perficiatur. Scientia enim sine charitate inflat: charitate verò formata, ædificat. Sicut ergo omnium aliarum virtutum charitas, vita, forma, atque ornamentum est (sine qua ne virtutis quidem perfectæ nomen retinent) ita quoque scientiam sic perficit, vt quæ sine charitate in superbiam sæpe degenerat, per eam planè vir doctus, lux mundi, & ecclesiæ oculus non immeritò dicatur. Sic enim apud Danielem legimus, Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti: & qui ad iu- *Dani. 12.*

stitiam erudiunt multos, quasi stellę in perpetuas æternitates. Quantum verò charitas perficiat iuuetque scientiam, aperte docet Augu. de laude charitat. Aug. his verbis, Diuinarum scripturarum multiplicem abundantiam, latissimamq; doctrinam sine vllo errore comprehēdit, & sine vllo labore custodit, cuius cor plenum est charitate. Quo, quid quæso dici potuit magnificentius? diuus quoque Basilius, Vnaquæq; inquit, anima, quàm lata est in amore proximi, tam alta est in cognitione dei. Hinc toties in diuinis voluminibus, sancti viri sapientiæ nomine maximè cōmendantur. Quid enim aut sublimius, aut mirabilius, quàm q̃ de se rudis ille pastor è caulis translatus ad regnū, ait? Super omnes docētes me intellexi: quia testimonia tua meditatio mea est. super senes intellexi; quia mandata tua quæsiui. Quia enim (vt diuus Gregorius ait) studuit operando implere quod didicit, accepit intelligere quod doceret. Nec solum operatio, sed ipsa etiam diuinorum eloquiorum meditatio, aciem mentis acuit & illustrat. Ideoq; ait, Super omnes docentes me intellexi: quia testimonia tua meditatio mea est. Hoc est, Non quia in scholis diu inter præceptores versatus sum: sed quia in eloquiorū tuorū meditatione exercitatus sum, ideo omnes doctores meos longe superaui. Causam verò huius rei diuus Chrysost. elegantter exponit

Ps. 118.

his verbis, Videmus (inquit) corporis oculos, quũ in fumo forte remorantur, lachrymas semper effundere: si vero potiantur aere purgato, & florentibus pratis, & hortis virentibus, & fontibus inter amœna fluentibus, & saniores esse, multoq; maiore aciei fulgore rutilare. Talis profecto est & mentis oculus. Si enim in pratis spiritualis pascatur eloquij, erit totus sine dubio purus, ac lucidus, & acutius cuncta perlustrans: si vero in fumum sęcularium negotiorum fuerit ingressus, ad innumera prorsus mala lachrymabitur. hactenus ille. Sunt & plura alia scripturarũ testimonia, quæ idem nobis insinuãt. Ait enim idem Propheta: Os iusti meditabitur sapientiã, & lingua eius loquetur iudiciũ. Et iterũ, A mandatis tuis intellexi: hoc est, ingrediẽ vijs tuis, & mãdata exequi sanctissimę legis tuæ, intellectũ mihi, & cognitionẽ eiusdem legis auxit: quemadmodũ quotidianus armorũ vsus, & frequẽs cõsuetudo bellãdi, rei militaris scientiã parit. Hinc illud Ecclesiastici, Anima viri sancti enuntiat aliquando vera, plusquam septem speculatores sedẽtes in excelso ad speculandum. Vides ergo quàm multis scripturarũ testimonijs, sancti viri sapientię nomine commendantur? Inquisitione autem dignissimum est, qua ratione vitæ sanctitas, ac pręcipue charitas, sapientiam augeat: cum præsertim sapientia sit in intellectu, charitas vero in voluntate.

Chrysost. sup Matth. Homilia. 2.

Psal. 37.

Ps. 118.

Eccle. 37

Multæ

Multæ ſanè & non vulgares, huius rei cauſæ mihi eſſe videntur: quas hoc in loco paucis attingere libet. Ac imprimis illa, quòd (vt diuus Gregorius ait) amor, cognitio quædã eſt: vnde neceſſe eſt amorem dei quandam eſſe cognitionem dei: rectiſſimeq; Platonem dixiſſe arbitror, amare deum, eſſe philoſophari; hoc eſt, theologię, ac diuinæ cognitioni vacare. Cuiuſmodi autem ſit hæc cognitio, exponit diuus Thomas, qui tribus modis nobis aliqd cognoſci poſſe, ait: nempe, auditu, aut viſu, aut etiam guſtu: ſi eiuſmodi res ſit, quæ guſtu percipi poſſit. Vinum enim, & auditu diſcimus alicubi eſſe pretioſum: & viſu, cum eius colorem cernimus: & guſtu, cum illud bibimus. Inter quæ cognoſcendi genera, poſtremum hoc efficacius & certius eſt. Quo quidẽ modo deum agnoſcit, quiſquis illum vehementer amat: neq; enim ita amare poſſet, niſi eius bonitatem, ſuauitatem, benignitatem, & charitatem, amando guſtaret: quæ cognitio, myſtica theologia eſſe dicitur: in qua non intellectus affectum; ſed affectus erudit intellectum: dum guſtando dei admirabilem, ſuauitatem, planè intelligit quàm dulcis, quàm ſuauis, & quàm amabilis ſit. Quod ſi ita eſt, rectiſſime ſanè Plato ſenſit, cum amare deum, philoſophari eſſe dixit, & ipſum agnoſcere. Quod regius Propheta ſignificauit cum dixit, Guſtate & vi-

S. Tho. Opuſc. de amore dei

pſal. 33.

& videte, quàm suauis est dominus. Prius enim dominum amando gustamus, deinde gustu ipso, quanta sit eius bonitas, ac suauitas edocemur. Vnde fit, non temere à nobis dictũ esse, scientia quoque ipsam ac theologiá augeri, & perfici charitate. ¶ Adde etiam, quòd cũ amorem præcedat amatæ rei aliqua cognitio: & cognitionis mensuræ amor respondeat, necesse est, vt qui multum amat deum, magna etiam cognitione dei præditus sit: quem vtiq; non vehementer amaret, nisi vehemẽter amabilem prius esse experiendo cognosceret. Quo fit, vt secundum diui Thomæ sententiam, crescente in electis habitu charitatis, crescat pariter & donum intellectus: cuius beneficio, tam amabilem intelligat esse dominum, quàm vera & sincera charitate illum amat. ¶ Ad hæc, præcipua veræ amicitiæ lex est, mutua secretorum communio. Vnde consequi videtur, vt quem deus charissimũ habeat, eum etiam secretorum suorum participem faciat: sicut ipse discipulis testatur dicens, Iam non dicam vos seruos: quia seruus nescit quid faciat dominus eius. Vos autem dixi amicos: quia omnia quę audiui à patre meo, nota feci vobis. Hinc diuus Augustinus ait, Si voluntatem dei quisq; nosse desiderat, fiat amicus deo: quia si voluntatem hominis nosse quisq; vellet, cuius amicus non esset, omnes eius impudentiam deriderent. *Iohan. 15* *Aug. contra Manich li. 1.*

derent. Nemo autem efficitur amicus dei, nisi purgatissimis moribus. Hinc etiam in psalmo,
psal. 24. pro eo quod nos legimus, Firmamentū est domino timentibus eum, diuus Hieronymus ex hebræo vertit, Secretum domini timentibus eū: & testamentum ipsius, vt manifestetur illis. Manifestatio autem testamēti dei, vera atq; solida sapientia est, quę puris mētibus spiritu vngente, atq; docente donatur. ¶Cum nulla præterea re, magis quā charitate deo inhæreamus, deus
1.Iohan.1 autē (vt Iohannes ait) sit lux, in quo nullæ sunt tenebrę; quomodo quis ad lucē hāc poterit appropinquare, qui non excellenti quadā, ac noua luce illustratus, diuinas res videat & intelligat? non enim frustra Psalmographus ait,
psal. 33. Accedite ad eū, & illuminamini. In cuius rei typū, faciem Mosy, ex cōsortio sermonis domini, cęlesti lumine radiantem legimus: vt ipso opere intelligeremus, quā luce facies animæ perfundatur interius, quæ ad deum accedit, & illo familiariter vtitur. ¶ Adde etiam, quod purgato igne charitatis affectu, necesse est purgari etiā intellectum; cuius pleræq; tenebræ, & turbulenti errores ex affectuum impuritate, corruptis moribus, deprauataque voluntate ferme oriuntur: quæ vbi ad malum propensa est, suo etiā pondere, atq; impetu intellectum ad omne impuritatis genus trahit, sibiq; obsequentē facit. Quo fit, vt purgato affectu, purgatior quoq;, sanior,

sanior, & perspicacior reddatur intellectus; secundum illam Prophetę vocem, Intellectus bonus omnibus facientibus eum; hoc est, casto & puro affectu colentibus deum. Hinc de spiritu sapiētiæ dicitur, quòd subtilis sit, & attingat vbique propter suam mūditiem. Quæ mūditiеs, non a sordibus corporis, sed ab impuritatibus affectuum intelligenda est; a quibus anima purgata & libera, subtilius omnia penetrat; quia neque passionum nebulis obscuratur, neque terrenis affectibus ad externa retrahitur, neque a superiorum comtemplatione impeditur: ideóq; attingere dicitur, & penetrare omnia propter suam mūditiem. Vt taceam interim, quòd anima purgata, & ad solē iustitię per charitatem expansa, radios eius velut in speculo purissimo recipiēs, magis ac magis illustratur, & irradiatur. ¶ Denique inter septem præcipua Spiritussancti dona, quatuor ad illustrandum intellectum pertinent: nempe donum consilij, scientiæ, sapientiæ, & intellectus: quibus piorum intellectus diuinitus illustratus, illam acquirit scientiam, de qua scriptum est, Iustum deduxit dominus per vias rectas, & ostendit illi regnum dei, & dedit illi scientiam sanctorum: quæ scientia eo omnibus alijs pręstantior est, quo & doctor eius sublimior, & finis nobilior est. ¶ Postremo, sicut fine cognito, facile

Ps. 110.

Sap. 7.

Sap. 5.

est

est media ex fine colligere; fine autem(ceu termino viæ) ignorato, nihil prudenter excogitari potest, sed in medijs tenebris erroribusq; ignarus homo versabitur : ita cum vir sanctus perfectissimè teneat finem (non enim speculatiua tantum scientia, sed etiam practica, intelligit deum esse finem illum, ad quē omnia referenda sunt) recte sanè, ac sapienter gressus suos dirigit : quod ab impijs longe alienū est; qui tantum a vero fine, quantum a dei amore distant : ideòque in summa caligine, & cæcitate volutantur. Quod animaduertens sanctus ille Iob, vbi multa in laudem sapientiæ prædicasset, & locum eius diligenter inquisisset, in fine tandem huius inquisitionis, paucis hanc

Iob. 28. quæstionem absoluit dicens, Ecce timor domini ipsa est sapientia, & recedere a malo intelligentia. ¶ Habetis hic, patres, quantum perfecta charitas, & vitæ puritas, veram adiuuet sapientiam (quam sanctorum esse scientiā diximus) præter quam, non abnuo aliam esse scientiam humano studio, & ingenio partam, quæ episcopis quoq; (vt sæpe iam diximus), maximè necessaria est; quę tamen huius ipsius diuinæ sapientiæ, & charitatis splēdoribus miro modo perficitur, ornatur, & illustratur; quorum luce destituta, ieiuna, sterilis, obscura, & periculosa est, quoniam inflare solet. Nihil enim magis verę sapientiæ, quàm tumor

superbię

superbiæ aduersatur. Ait enim Salomon, Vbi fuerit superbia, ibi erit & contumelia: vbi autem humilitas, ibi & patiētia. Hinc diuus Augustinus, Tumore, inquit, meo separabar abs te; & nimis inflata facies claudebat oculos meos. Cicero item, scientiam, quę a iustitia remota sit, non scientiam, sed calliditatem potius appellandam esse censuit. *Prou.11.* *Augu.in lib.Cōfes.*

II.

QVOD si quis scire velit, quantum etiam ad alia episcoporum officia (quæ ex his fontibus oriri supra memorauimus) charitas ipsa cōducat, facile erit hoc animaduertere, si quis diligenter ea omnia, cum ipsa charitate conferat: quam rem dum paucis attingo, quæso patres amplissimi diligenter attendite. Principio enim exempla rectè viuendi (quæ inter præcipua boni pastoris officia numerauimus) quis melius proferet, quàm is qui per charitatem legem dei implet, & recte viuit? Quemadmodum enim corporis bona valetudo in vultu ipso, externaq; specie apparere solet; quæ sanguinis ceterorumq; humorum æquabilitatem, temperamentumq; declarat: ita perfecta charitas, sanctitasq; in animo residens, non modo per opera externa, sed per ipsam quoq; speciē vultus emicat; qui omnes ad amorem, & venerationē sui trahit. Propter quod etiam Salomon, in facie prudentis lucere dixit sa- *Charitas ualet ad cetera episcoporum officia.* *Prou.17.*

pientiam. Hoc nobis aperte Eusebius emis. explicat, qui inter cetera virtutum insignia, hoc ipsum de beato Maximo episcopo testatur his verbis, Eminebat (vt sic dixerim,) in ipso habitu animi fortitudo, in specie exteriori ipsam putares expressam imaginem sanctitatis; terribilis incessu, reuerendus aspectu. Crederes quòd semper inuisibilem illum hostem, ipsa vultus sui virtute terreret. Metuendus seueritate, benignitate venerãdus, auctoritatis censuram, humilitatis mansuetudine temperabat. Minabatur quidem frontis austeritas, sed cordis serenitas blandiebatur: at sic conueniente in vno diuersitate gratiarũ, Paulus apparebat in vultu, Petrus in spiritu. illius districtionis, huius erat pietatis æmulator: ita vt cuius præsentiam eius vix sustineres, absentiam ferre nõ posses, hactenus ille. Ex quo facile perspicitur verũ esse, quod Salomon dixit, In facie sapientis ipsam lucere sapientiam. Contra vero, specimen, & exemplar sanctitatis præstare velle, nec sanctum esse, id planè non est exemplo ædificare, sed fuco, & mendacio aspiciẽtium oculos fallere, & pharisæorum hypocrisim imitari.

Euseb. Emis. 1 Ser.

Iustitiam verò, hoc est æquitatem in iudicijs, & in ministeriorum ecclesiasticorum distributione (quæ in ecclesiæ foro frequentissima, & maximè necessaria est) quis magis illibatam, integramq; seruabit, & a potentum, corruptorumq;

rorumq; muneribus, importunitatibus, fraudibusq; defendet; quàm perfecta charitas, & integritas, quæ vni deo super omnia placere cupiens, nó modo certare, sed etiam mori parata est pro iustitia? Sic enim de ea venerabilis Beda ait, Verus amor veritatem amat, in veritate iudicat; pro veritate certat, & cũ veritate opera consumat. Illa enim charitas, quę aduersus omnes mundi monarchas, machinásq; tormentorum illæsam, potuit fidẽ Christi seruare; eadem quoq; poterit iustitiam, & æquitatem aduersus tam multiplices eius impugnatores inuiolatam, puramq; custodire. ¶ Misericordiam verò erga inopes, pupillos, ac viduas (quæ episcopis tam familiaris esse debet) quid magis præstare poterit, quàm ipsa misericordiæ, omniumq; virtutũ parens charitas; quę (quoniam otiosa esse non potest) in quo magis neruos suos omnes intendet, quàm in subleuandis eorum miserijs, quos tamquam amantissimos filios syncero charitatis sinu cõplectitur? Alioqui si videns fratrem suum necessitatem pati, clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas dei manet in illo? Minus enim proximum (vt Greg. ait) amare conuincitur, qui non cũ eo in necessitatibus eius, ea etiam quæ sibi sunt necessaria, partitur. ¶ Labores verò visitandi, inquirendi, prouidẽdi, & per varia oppida, atq; castella discurrendi (in quibus æstus, soles,

Beda super Luc.

Grego. in homil.

frigora, multarumq; rerum penuriam, & incommoda sæpe ferenda sunt) quis libentius subire volet, ac perpeti, quàm is qui charitatis ardore succensus, nullum propter oues (quas vita ipsa chariores habet) laborem recusabit? Si enim terrenarum rerum amatores (vt Arist. ait) facile aggrediuntur terribilia concupiscentiæ causa; quid non perfecta charitas propter gloriam Christi aggredietur? Dictum autem a nobis paulo superius est, amare, nihil aliud est quàm benè velle: benè autem velle consequitur, omni beneficiorum genere eos prosequi, quibus bene velis. Cũ verò nullis deum, quem diligimus beneficijs afficere valeamus, (qui planè bonorum nostrorum non eget) quid superest, nisi quod a propheta dictũ est,
Psal. 15. Sanctis qui in terra sunt eius, mirificauit oẽs voluntates meas in eis? hoc est, quoniam tu es deus meus, in quo spes omnes, opesq; vitæ meæ sitæ sunt; quem toto corde diligere, & cui ex animo benè velle debeo; eaq; sis felicitate, & opulentia, vt bonorum meorum non egeas; quid mihi reliquum est, nisi vt omne meum hoc studium, propensionemq; voluntatis, egregijs beneficijs in omnes sanctos, qui in ecclesia tua sunt, declarẽ; illos videlicet iuuando, visitando, monendo, paterna charitate corripiendo, omniq; ratione illorum salutem promouendo; certus planè, quòd hęc omnia pietatis

tis obsequia, quæ in illis confero, in te cōmunem oīum dominum, atq; parentem confero?

Iam verò, si ad episcopum (vt ante diximus) maximè pertinet idoneos, vndecumq; concionatores, & ecclesiæ pręfectos, ac ministros asciscere; quorum opera, & iustitiam administrare, & verbi dei pabulo oues alere, & prouinciam suam visitare commodè possit (quos interim suis expensis, quando ecclesiasticæ non suppetunt, debeat sustentare) quis hoc quæso cumulatius præstabit, quàm qui se, suisq; omnibus neglectis, nihil magis quàm dei gloriā, animarum salutem, & ecclesiæ decorem, ac sinceritatem quærit? Quomodo in hac causa sumptibus parcet, qui ne vitæ quidem suæ parcet? quomodo pro ouibus suis profundere negliget substantiam suam; quibus libēter paratus est impendere animam suam? quomodo parcus ille, ac tenax erit, quem iustitia facit æquitatis amantem; misericordia largū; charitas feruētem; zelus animarum solicitū; & frugalitas sibi parcū, & in alios profusum, ac liberalem?

Orandi verò munus (quod episcopo quatenus sacerdos est, maxime conuenire diximus) quis, aut melius, aut frequētius, aut efficacius præstare poterit, quàm verus dei amicus, cuius tota penè vita oratio est? Id quod cæcus ille natus, apud Iohannem aperte indicauit dicens, Scimus quia peccatores non exaudit *Iohan. 9.*

deus: sed si quis cultor eius est, & voluntatem eius facit, hunc exaudit. Quo enim quisq; deo gratior, eo & oratio eius efficacior, & potentior est. Scriptum est enim, Oculi domini super iustos, & aures eius in preces eorũ. Et rursum, Longe est dominus ab impijs, & vota iustorum exaudiet. Contra vero, de impiorum oratione scriptum est, Qui obturat aures suas, ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis. Hinc est, quod amicis Iob veniam dominus impartiri volens, quoniam propter insolentiam suam indigni erant, qui exaudirentur, ad ipsum Iob ab eodem domino remittuntur: vt illius oratione temeritatis suæ veniam impetrarent. Sic enim ait, Iob autẽ seruus meus orabit pro vobis: faciem eius suscipiam, vt non vobis imputetur stultitia. Quantum vero ad publicam salutem piorum orationes conducant, vix verbis explicari queat. Cur enim Elias, cur Eliseus toties in diuinis voluminibus currus Israel, & auriga eius, vel (vt alius vertit interpres) equites eius, appellantur, nisi quia orationis suæ virtute instar curruum, & equitum erant, quibus populus ille a deo protegebatur? Contra verò, cum eundem Dominus populum propter neglectam religionem, & virtutem demoliri vellet, orationis ab eo præsidium sustulit. Sic enim ait Hieremiam ait, Tu verò noli orare pro populo isto, neq; assumas laudem

Psal. 33.
Prou. 15.
Esai. 33.
Iob. 42.
Hier. 11.

laudem, & orationem pro eis; nec obsistas mihi. Vides quàm cum possit oratio viri iusti; quam idem ipse dominus ad diuinam vim cohibendam, & iram eius placandã; adeo potentem esse pronũciat? Prouidisse autem hac ratione videtur, ne veluti dedecore quodam ipsam afficeret orationem; si ad eum fusa, vacua reuerteretur; ideòq; prophetã præmonuit, ne pro impijs orationem funderet. quid verò Esaias propheta? Nonne ipse quoq; currus erat Israel, & equites eius; quando potẽtissimi hostis Sennacherib hierosolymam vastare moliẽtis, oratione sua impetum fregit, & exercitum deleuit, ac profligauit? Deniq; Elias (inquit Iacobus) homo erat similis nobis passibilis, & oratione orauit, vt non plueret super terrã, & non pluit super eam annos tres, & menses sex: & rursum orauit; & cælum dedit pluuiam; & terra dedit fructum suum. Quid quæso, vel ad laudem diuinæ bonitatis magnificentius; vel ad bonorum gloriã sublimius; vel ad orationis laudem dici poterat mirabilius; quàm vt per eam cæli, terræ, maris, ventorum, nubium, atque imbrium, mortalis homo teneat imperium? Si verò tantum ad communem hominum; vel perniciem, vel salutem, nõ quidem impiorum execrabilis, sed piorum tot nominibus oratio commendabilis valet, quanta laus eius erit, qui ecclesiæ, qui communis salutis, qui fidei,

Iacob. 5.

& religionis publicam curam gerit, amicum esse dei, & charitatis, ac orationis virtute potentem: per quam salutem publicam tueri, & a sempiterno generis humani hoste defendere possit? Vltimo verò loco parsimoniam, frugalitatemq; inter præcipua pastoris ornamenta posuimus: quæ dum sibi, suisq; moderata est, materiam pietati, & misericordiç opibus suis, quàmlatissimè præstat. Hanc verò virtutem (sine qua nudus penè, & velut inermis erit episcopus) quis ita colet, atq; is qui perfectæ charitatis beneficio, virtutibus cunctis ornatus, terrena omnia ducit vt stercora, propter sola cælestia, diuinaq; bona; ad quæ omni animi contentione aspirat? Qui enim veris virtutum insignibus illustris, & clarus est, cur falsos honorum titulos, & velut vmbras quasdam gloriæ consectetur? Sicut enim fallacem, & fucatam pulchritudinem deformis facies quærit; quam formosa recusat; & fulcra pedibus subijcit, vt procerior appareat, qui statura pusillus est: ita qui virtutibus suis claritatem, & gloriam non merentur, aliunde peregrinas glorias aucupantur, vt videlicet circunfusa clientium turba, & pretiosis vestibus, atq; opibus, magnificisq; fimbrijs honorabiles appareant, qui per se despicabiles, & obscuri essent. Quæ omnia vera, & perfecta virtus adeò non quærit, vt etiam vehementer detestetur, ac fugiat.

Quid

Quid enim circumpositis facibus sol indigeat? qui suo ipse splendore conspicuus est? ¶ Præterea, si apostoli, si prophetę, si omnes denique sancti, ac ipse etiam sanctorum dominus, adeò parsimoniam, sobrietatem, asperitatem vitæ, voluntariamq; paupertatem coluerunt; & hác viuendi rationem nobis adeò commendauerunt, quid quęso faciet vir sanctus, & verus dei amicus: qui quo sanctior est, eo se magis ad apostolicam, & euangelicam vitá effingendam aptat, atq; componit? Quando verò pro conditione temporũ, & ministerij sui ratione, splendidè aliquid gerendum est, non sui rationem habet, sed ecclesiæ, non sui honoris, sed animarum salutis, nõ sibi placet, sed ouibus prouidet; non oculis hominum, sed officio deseruit: & ita splendoris insignia contuetur, vt illa sancta femina Hester: quæ cum regiam dignitatem in opulentissimo regno obtineret, cultuq; regio, & apparatu ornari deberet, sic corpus ornabat auro, vt cilicium gestare videretur in pectore. Quod ipsa in oratione sua domino confitetur dicens, Tu scis necessitatem meam; quod abominer signum superbiæ glorię meæ, quod est super caput meum in diebus ostentationis meæ; & detester illud quasi pannum menstruatæ, & non portem in diebus silentij mei. Si ergo tanta animi puritate, ac sinceritate in summis delicijs constituta puella, *Hest. 14.*

ſeculo ſeruiebat; quid faciet euangelicæ, atque apoſtolicæ philoſophiæ profeſſor epiſcopus?

III.

Quātum charitas, & integritas uitæ, ad munus prædicādi cōferat.

Ex his ergo, quæ hactenus a me dicta ſunt, facile quiſque intelliget, quid charitas, & integritas vitæ ad omnia epiſcopi officia conferat. Supereſt vnum docendi, atque concionandi munus; quod ego dedita opera hucuſq; diſtuli, quoniam ſummum, ac præcipuum epiſcoporum officium hoc eſſe, ſupra ex Tridentini concilij auctoritate definiui. Si enim ad hoc ipſum, in ſuo quiſque ordine, fideles omnes certa quadam ratione, hoc eſt, non ex debito officij, & publica auctoritate, ſed priuata charitate, tenentur; quid de epiſcopo cenſendum eſt, qui iuxta ſui nominis rationem, in ſpecula eccleſiæ conſtitutus, aliorum pericula, & proſpicere, & annuntiare debet? Pertinere autem ad omnes ſuo modo munus hoc, indicat planè diuus Auguſtinus his verbis, Hæc eſt lex diuinæ prouidentiæ, vt nemo a ſuperioribus adiuuetur, ad cognoſcendam gratiam dei, qui non ad eandem puro affectu inferiores adiuuet. Hinc etiam diuus Gregorius ait, Miles dei ſupernæ gratiæ nixus auxilio, ſic vulnera infirmitatis ſuæ curet, vt aliena non deſerat. Hinc etiam legimus in Apocalypſi, Spiritus, & ſponſa dicunt, veni: & qui audit, dicat, Veni. quia enim cuique mandauit

Auguſti. de uera relig.

Grego. in Moral.

Apoc. 22

dauit deus de proximo suo: ideo qui se gaudet a deo vocatum, & misericordiam cõsecutum, alios quoq; eiusdem misericordiæ participes facere festinet: & quod ipse a domino munus accepit, in alios trãsferre procuret. In cuius rei typum defuncti fratris semen, in lege suscitare iubemur: quod plane spiritualiter exequi videtur, quisquis nouam Christo prolem (qui communis omnium nostrum emortuus frater est) verbo, aut exemplo suscitare conatur. Et si ad omnes Christi fideles cura hęc, pro cuiusq; ratione pertinet: quid is faciet, cuius fidei animarũ cura ea lege credita est, vt earum sanguis ab eo sit requirendus, & quicquid è grege perierit, eius periculo pereat? Sic enim diuus Greg. ait, Quo reatu astringantur aspiciant, qui dum peccantibus fratribus verbũ prędicationis subtrahunt, morientibus animabus vitæ remedia abscondunt. ¶ Nec solum commissi muneris data, & accepta fides, sed publica etiam ecclesiæ stipendia, eos ita ad officium hoc impellunt, vt nefas sit ei denegare officium, a quo tam amplum acceperis stipendium. A quo atrocissimo scelere, quam longissime se abfuisse sanctissimus Iob testatur, cum ait, Si comedi fructus absque pecunia, & animas agricolarum afflixi. Quem locum diuus Greg. in hunc modum interpretatur, Fructus terræ absq; pecunia comedere, est, ex ecclesia quidem sumptus accipere, sed

Deut. 25.

Grego. in Pastoral.

Iob. 31.

Grego. in Moral.

ſed eidem eccleſiæ prædicationis pretium non præbere. Terræ igitur fructus abſque pecunia comedit, qui eccleſiæ commoda ad vſum corporis percipit, ſed exhortationis miniſterium non impendit. Quid ad hoc nos paſtores dicimus, qui aduentum diſtricti iudicis præcurrentes, officium quidem præconis accepimus; ſed alimēta eccleſiaſtica muti manducamus? hactenus ille. Cum igitur ex ijs, quæ nunc a me, & fuſius paulo ante diſputata ſunt, aperte conſtet præcipuum paſtoris eccleſiaſtici munus eſſe, oues Chriſti ſcientia paſcere, atque cæleſti doctrina inſtituere, dubitabit fortaſſe aliquis, quid tāto huic muneri rudis charitas, & indocta ſanctitas pręſtare poſſit? Dicendi enim vis, atq; facultas, natura, arte, exercitatione, atque imitatione comparari, teſtes ſunt quicumque de dicendi ratione ſcripſerunt. Vbi igitur iſta defuerint, quid nuda per ſe charitas præſtare queat? Fateor quidem omnia hæc, ad bene dicendum eſſe neceſſaria; quæ quidem ſine acerrimo ſtudio, diuturna exercitatione, multaq; commentatione comparari nequeunt: at cum dicendi ratio non minus diuinæ prouidentiæ, atque voluntati, quàm ceteræ res humanæ ſubſit, inficiari nequeo, multos illam a deo nullis humanis ſtudijs, ſed frequentiſſimis, feruentiſſimiſq; deprecationibus impetraſſe. Sic enim in eccleſiaſtico legimus, Iuſtus cor

ſuum

suum tradidit ad vigilandum diluculo, ad dominum qui fecit illum, & in conspectu altissimi deprecabitur. Si enim dominus magnus voluerit, spiritu intelligentiæ replebit illum; & ipse tamquam imbres mittet eloquia sapientiæ suæ, &c Verum quia perpauci sunt, quibus talia a deo dona contingant, plurimum studij, laboris, & diligentiæ is adhibeat opus est, qui dicendi peritus euadere optat. Ad quæ tamen omnia incredibile dictu est, quantopere charitas ipsa, & charitatis indiuidua comes, vitæ integritas, conferant. Multa (fateor) patres amplissimi, hac de re legi, multa vidi, multaq; dicendo obseruaui; tam diuturna enim concionandi consuetudo; in qua ætatem fere omnem consumpsi; multi me vsu ipso docuit, qui optimus dicendi magister esse solet. Sed, si ea omnia, vnum in locum cogantur; & ex altera parte flagrantissima quædam charitas, sitisq; animarum ardentissima proponatur; certè hæc vna virtus omnia rhetorum præcepta longe superabit, quæ sine hoc spiritu, atque ardore, fucata, frigida, exanguia, & prorsus infirma sunt: quæque magis orationis lenocinio aures mulceant, quàm dicendi acrimonia animũ concutiant, & a veteris vitæ prauitate conuellant. Quod ita esse non paucis, neq; contemnendis rationibus comprobabo. Principio quidem certum est (vel ipso Augustino

Ecclesiastic. 39.

ftino testante) tria esse præcipua concionatoris officia, nempe vt doceat, vt delectet, vt flectat. Et docere quidem, necessitatis esse: delectare, suauitatis: flectere, victoriæ. Docemus autem probationibus, delectamus eloquutione, flectimus verò affectibus concitandis: quæ a sedibus suis eripiunt animos, & in quemcumq; voluerit habitum transformant. quanta verò sit extremæ huius partis necessitas, atq; præstantia, Fabius ipse Quintilian. rhetorum magister indicat his verbis. Probationes (inquit) efficiunt sanè, vt causam nostram meliorem esse iudices putent: affectus præstant, vt etiam velint, Sed id quia volunt, credunt quoque: nam cum irasci, fauere, odisse, misereri cœperint; agi iam rem suam existimant: & sicut amantes de forma iudicare non possunt (quia sensum oculorum præmit amor.) ita omnem inquirendæ veritatis rationem iudex amittit, occupatus affectibus: æstu fertur, & velut rapido flumini obsequitur. an cum ille (qui plerisque perorationibus petitur) fletus erumpit, non palàm dicta sententia est? Huc igitur incumbat orator, hoc opus eius, hic labor est: sine quo cetera nuda, ieiuna, infirma, ingrata sunt; adeo, velut spiritus operis huius, atque animus est in affectibus, hactenus Fabius. § Ceterum qua ratione affectus illi concitandi sint, idem ipse, dicendi artifex, paulo

Quintil. lib. 6.

post

post indicat his verbis, Summa (quantum ego quidem sentio) circa mouendos affectus in hoc posita est, vt moueamur ipsi. Nam & luctus, & iræ, & indignationis, aliquando ridicula fuerit imitatio, si verba, vultumq; tantum, non etiam animum accomodauerimus. Quid enim aliud est causæ, vt lugentes vtique in recenti dolore, disertissimè quædam exclamare videantur, & ita nonnumquã indoctis, quoque eloquentiam faciat, quàm quòd illis inest vis mentis, & veritas ipsa morum? Quare in iis, quæ verisimilia esse volemus, simus ipsi similes eorum, qui verè patiuntur affectibus: & a tali animo proficiscatur oratio, qualem facere iudicem volet. An ille dolebit, qui audiet me, cùm hoc dicam, non dolentem? Irascetur, si nihil ipse, qui in iram concitat, idque exigit, simile patietur? siccis agenti oculis lachrymas dabit? fieri non potest: nec incendit nisi ignis; nec madescimus, nisi humore: nec res vlla dat alteri colorem, quem ipsa non habet. Primum est igitur, vt apud nos valeant ea, quæ valere apud iudicem volumus; afficiamurque antequam afficere conemur. hactenus Fabius. Nec Fabius tantum, sed etiam ipse eloquentiæ parens Cicero, idem prorsus edocet his verbis, Vt nulla materies, tam facilis ad exardescendum est, quæ nisi admoto igne, ignem concipere possit, sic nul-

Quintil. lib.6.

Cice. 2. de Oratore.

sic nulla mens est tam ad comprehendendam vim orationis parata, quæ possit incendi, nisi inflammatus ipse ad eam, & ardens accesserit. Hæc igitur illi, quorum testimonijs, nihil in hac parte afferri poterat certius, & locuple- tius. Quibus plane diuus Gregorius, eisdem fere verbis astipulatur dicens, Ad supernum desiderium inflammare auditores nequeunt, verba quæ frigido pectore proferuntur: nec enim res, quæ in se ipsa non ardet, aliud accendit. Quod si ita est, quid quæso ad inflammandos, & concitandos auditorum animos perfecta charitate potentius? Charitas enim ignis est, non a silice excussus, sed e cælo delapsus: qui adeo ardenter animarum salutem sitire facit, vt dicentis, ac suadentis animum miro modo commoueat, linguam erudiat, actionem inflammet, affectus concitet, figuras, verba, vultum, acrimoniam q; ministret: in omnesq; sese figuras (velut Protheus quidam) vertat: vt dicendo a morte reuocet, quos in via perditionis positos, dolet: vsque adeo affectus hic cælestis ingeniosus, & acer est. Si enim (vt ante diximus) affectus omnes, atque propensiones animi ex amore ita oriuntur, vt quo maior fuerit amor, eo fit affectus omnis vehementior, quales ergo ardentissimæ charitatis, nisi vehementissimi affectus erunt? Qui vero ita affectus dicit, quomodo non eundem, quem habet

Grego. in Moral. 8.

habet animum in alios transferet? quomodo ignis hic in pectore exæſtuans non per os, vultum, linguam, geſtumq; corporis velut fulgur erumpet? Si enim ignis in nube incluſus, & preſſus violenter, tãdem cum tonitru emicat, fulgurat, & horrenda fulmina iaculatur; quid mirũ ſi cæleſtis hic ignis in pectore clauſus, verborum emittat fulmina, ac tonitrua, quibus oſcitantes hominum mentes excitet, ac perterrefaciat? hac ergo ratione, miro modo charitas vim dicendi præſtat. Ad cuius rei fidem, non grauabor hic adiungere celeberrimi cuiuſdam concionatoris ſententiam: qui rogatus ab alio quænam eſſent præcipuæ concionatoris partes, duæ (inquit) mihi eſſe videntur. Altera, vt diuinis litteris apprime ſit eruditus; altera vt ardentiſſimo amore deum diligat. quorum alterum quidem ad res inueniendas, alterum vero ad rationem modumq; dicendi maximè iuuat. Qui enim ardentiſſimo amore deum diligit, cum de peccatis agendum erit, vehementiſſimè in ea inuehetur: tamquã in acerrimos illius hoſtes, quem tantopere diligit. Si vero de his, quæ ad eius gloriam pertinent, agatur, ſimili orationis impetu concitabitur; cum de ijs agat, quę ad illum pertinent, cuius tanto amore tenetur. præclare ille ſanè. Hac enim ratione fiet, vt bona bene dicantur: bene autem ferè dicuntur, quæ non

solute, nō leniter, atq; oscitanter, sed vehemēti cū cōtentione animi, ingenij, viriumq; dicunt.

Nec vim dicēdi modo, sed rerum etiam quę dicant copiam, præbet ipsa charitatis exercitatio. Ad charitatem enim maxime spectat, diuinarum rerum studijs, & contemplationi vacare: hoc enim velut cibo charitas ipsa alitur & pascitur. Præclare enim a diuo Augustino dictū est, Pondus meū amor meus: quocumq; feror, amore feror. habet enim amor omnis, vim abducendi mentem: & eam quocūq; ipse appulerit, impetu & pondere suo, impellendi. Sicut ergo amor terrenus deprimit ad terrena, ita cælestis rapiet ad cælestia. Cælestium verò rerum amor, & cōtemplatio miro modo mentis aciē purgat, & illustrat, cælestiq; sapientia imbuit: a qua velut a perenni quodam fonte, omnis dicendi vis oritur. Hinc est quod diuus Gregorius ait, Sancti viri quieti contemplantes sorbent, quod occupati erga proximos loquentes refundunt. & iterū, Sancti viri amando discūt, quod docendo proferunt. Cum enim totius diuinæ legis summa in vno dilectionis præcepto sita sit, multum planè in diuinę legis cognitione profecit, qui dilectionis ipsius vim nō modo legendo, sed etiam diligēdo cognouit. Quā quidem sententiam, beatissimi patris nostri Dominici exemplo confirmare licet: qui cum in concionandi facultate mirabilis esset, rogatus a

Augusti.

Grego. in Moral.

tus a quibusdam, vbinam miranda ea quæ docebat, didicisset: in libello (inquit) charitatis. Quod planè responsum, vt verissimum est, ita quoq; intellectu difficillimum ijs, qui cælestis huius ignis vim, naturā, energiamq; mirabilē experti non sunt. Quam tamen nemo nisi Spiritus sancti ductu, & magisterio poterit experiri. Quo fit, vt non modo affectus, & orationis acrimoniam, sed etiam dicendi copiam, atque materiam suo modo charitas subministret.

¶ Quoniam verò pauci admodum sunt, qui in hac prius dilectionis, & contemplationis schola versentur, quàm in publicum prodeant, docendiq; magisterium suscipiant; ideo non immerito eosdē diuus Bernardus accusat his verbis, Canales (inquit) hodie multos habemus *Bernar.* in ecclesia, cōchas verò perpaucas. Tantę enim *sup Cant.* charitatis sunt, per quos nobis fluenta cælestia manāt, vt ante effundere, quàm infundi velint, loqui quàm audire, paratiores docere quod non didicerunt. Quòd si quæras, quę nam illa sint, quæ prius infundi debeant, quàm ipse effundas, idem ipse in eodē libro declarat his ver *Idē. Ibidē.* bis, En quanta prius infundenda sunt, vt effundere audeamus, de plenitudine, nō de penuria largiētes, primo quidē cōpunctio, deinde deuotio, tertio pęnitentiæ labor, quarto pietatis op9, quinto orationis studium, sexto contemplationis otium, septimo plenitudo dilectionis.

hactenus ille. Vides ergo quàm multa alia præter doctrinam, studiumq; requirantur, vt digne aliqs ecclesiæ magisteriū suscipere queat.

Est etiam in hac re aliquid altius, penitiusq; introspiciendum. Constat enim, quod quemadmodum inter medicos ille iure celebrior, & præstantior habetur, qui plures à morbo liberauerit: ita inter concionatores, ille disertissimus erit, qui plures à peccati morbo sanauerit: cū hic vtriusq; artis finis sit, vt ille à morbis corporis, hic ab animæ languoribus liberet. certum est autem, sanitatem animæ (qui apostolici huius officij finis est) dono dei hominibus contingere: nec vllam, aut potentiā, aut vim dicendi ad hoc sine dei præsidio posse sufficere. At hoc auxilium certius, efficaciusq; à deo dei amicus, & vir sanctus impetrabit: ergo quo quisq; sanctior fuerit, hoc plures oratione sua Christo animas lucrifaciet: ac proinde in officio cōcionandi prior merito erit, atq; præstantior. Sed quoniā hæc nostra ratio paucis comprehensa est, libet eam (quia maxime ad huius negotij lucem pertinet) paulò latius explicare. ¶ Ante omnia ergo ex diuinis litteris euidenter agnoscimus, neminem sine speciali dei auxilio ad deum venire, à peccatique morte excitari posse. Sic enim apud Iohannem

Iohan. 6. legimus, Nemo potest venire ad me, nisi pater qui misit me, traxerit eum. Est scriptū in prophetis,

phetis, erunt homines docibiles dei. Omnis ergo qui audit a patre, & didicit, venit ad me. Prius ergo a patre intus erudiendus est, quisquis externa prædicatoris voce ad dominum conuertendus est. Huc & illud pertinet, quod in Iob scriptum est, Numquid leuiatham capies hamo, aut armilla perforabis maxillam eius, vt videlicet ex eius dentibus animarum excutias predam? Quis igitur hoc, nisi omnipotens deus efficere possit? Propter hoc ergo dominus, discipulos suos, quos prædicatores instituebat, his verbis admonet apud Iohannem, Sicut palmes (inquit) nō potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis. Ego sum vitis, vos palmites: qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum: quia sine me nihil potestis facere. Quamlibet ergo dissertus, quamlibet potens in sermone quisque sit, frustra tamen loquitur, frustra sudat, frustra clamat, nisi cœlestis huius magisterij vox interiori hominis aure sonet. Sic enim diuus Gregorius ait, Incassum homo exterius monetur, si intus cor eius gratia non repletur. Est enim mutum os omne, si ille intus in corde nō clamat, qui aspirat verba quæ audiuntur. rursusq; idem, Nisi (inquit) Spiritussanctus adsit cordi audientis, otiosus est sermo doctoris. Nemo ergo docenti homini tribuat, quod ex ore docentis intelligit:

Iob. 40.

Iohan. 15

Gregor. in Moral.

Gregor. in Hom.

ligit: quia nisi intus sit qui doceat, doctoris lin-
gua exterius in vacuum laborat. eandemq; ite-
Grego. in Moral. rum alibi sententiam repetit his verbis, Nisi
Spiritussanctus auditoris corda repleat, ad au-
res corporis, vox doctoris incassum sonat. For-
mare enim vocem magistri exterius possunt p
sed hanc interius imprimere nõ valent. ¶ Cum
sint autem multæ, huius tantæ miseriæ nostræ
causæ, tum illa præcipua est, quam diuus Augu-
Augusti. in epist. stinus declarat his verbis, Ego cum amatores
sæculi huius intueor, nescio quomodo possit
esse, ad eorum animos sanandos opportuna
prædicatio: quando enim res huius mundi ve-
lut prosperas habent, fastu suo respuunt salu-
bres admonitiones, & quasi anilem reputant
cantilenam: quando autem aduersis aguntur,
magis conantur euadere, vnde ad præsens agun-
tur, quàm capere vnde curentur: hactenus ille.
Cuius sententiæ veritatem, vtinam non quoti-
dianis penè exemplis deprehenderemus: sed per
quæ liquet, adeo corda horum terrenis rebus,
siue secundis, siue aduersis irretiri, adeoq; ca-
ptiuos pereuntium rerum amore sensus eorũ
detineri, vt nihil penè aliud percipere possint,
nisi id solum cuius inseparabili, atq; adeo insu-
perabili amore tenentur: propter quod merito
Prou. 18. to dictum est, Non recipit stultus verba pru-
dentiæ: nisi ea dixeris, quæ versantur in corde
de suo. Apud eos verò, qui tales sunt, frustra

ferè

ferè de rebus diuinis agas, plena enim corda si quid superinfundecis, non recipiunt, sed effundunt. sed quid frustra dico? Immo verò, maximo suo malo percipiunt lucem, quam reijciunt, salutem quam despiciunt, doctrinam quam contemnunt, medicinam qua non vtuntur, & gratiam, quam vltro oblatam, respuunt. An nõ ergo maioris erit occasio damnationis, sic audita doctrina nec recepta? Si non (inquit Dominus) venissem, & locutus eis nõ fuissem, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo. Rectè dixit Augustinus, Ab exordio (inquit) propagationis humanæ vsq; in finem, quibusdam ad præmium, quibusdam ad iudiciũ prædicatur. Quod ipse alibi eleganti explicat similitudine dicens, Simul pluit dominus super segetes, & super spinas: sed segeti pluit ad horreum, spinis ad ignem: non quod ipse dominus ad hoc pluat, sed quòd terra ipsa cœlestem desuper bibens imbrẽ, proferens autẽ spinas & tribulos his a quibus colitur, reproba est, & maledicto proxima, cuius cõsummatio in cõbustionẽ, vt Apostolus ait. ¶Cũ hæc igitur ita sint, & omnis opera prædicatoris sine dei fauore, vsq; adeo nõ sufficiat ad salutẽ, vt maioris etiã damnationis occasionem præbeat, quem ex hoc sperare fructum poterit, quamlibet disertissimus ecclesiæ magister, nisi magisterij cælestis virtutem,

Iohan. 15.

Augu. de 5. quæst.

& lucem cõtinuis precibus, & gemitibus prouo-meruerit? Præclare enim Augustinus, Prædicator (inquit) laboret, vt intelligenter, vt libenter, vt obedienter audiatur: & hoc se posse magis pietate orationum, quàm oratoris facultate non dubitet: vt orando pro se, ac pro illis quibus est allocuturus, sit prius orator, quam doctor: & ipsa hora accedens, prius quã exerat proferentem linguam, ad deum leuet animam sitientem, vt ructet quod biberit, vel quod impleuerit, fundat. hactenus ille. Quod si ita est, & res hæc precibus magis quàm concionibus, & gemitibus quàm verbis, & clamoribus ad deum, magis quàm ad populum vocibus peragenda est: aperte sanè constat charitatem, morumq; integritatem, ad hoc sanctissimum munus quammaximè pertinere: vtpote quæ preces nostras gratissimas deo faciat: & per eas doctrinæ suæ vim impetret, efficaciamq; mouendi.

His etiam adde, quòd sanctitas vitæ vehementer confirmat, roboratq; doctrinam, quæ operum attestatione maxime comprobatur: dum homo ipsa vitæ suæ institutione, dictorũ suorum fidem facit. Hinc diuus Gregorius ait, Ille loqui veritatem nouit, qui prius benefaciendo didicit: & tunc verbi semen germinat, quãdo hoc in audientis pectore, pietas prędicantis rigat. Vnde facile liquet (id quod a no-

Gregor. super Eze.

bi ante dictum est, cum de episcopi sanctitate ageremus) nō solum oris, sed totius etiam hominis sanctitatem, & cum ipso ore concordiā, ad hoc opus exquiri: vt totus sit immaculatus & purus, qui puritatis suæ participes alios efficere debeat. Propter quod dominus, cū Hieremiam prædicatorem creare voluisset, prius illū in vtero etiam matris ab omni peccati labe purgauit, vt singulari quadam puritate, & sanctitate esset insignis, qui alios ad sanctitatē puritatemq; vocare debebat. Esaiæ quoq; labia cælesti igne, & angelico ministerio purgantur: vt sic iddoneus redderetur, qui alios a peccati sordibus purgare posset. Paulus vero vltra humanā raptus est ad tertium cælum, & cælestia secreta cognouit, vt ecclesiarum futurus doctor, inter angelos disceret, quod inter homines prędicaret. Merito ergo diuus Gregorius nazianzenus, mores optimi concionatoris describens, ait. Mundari prius oportet, & sic alios mundare: sapientem prius fieri, & sic alios facere sapientes: lumen fieri, & sic alios illuminare: ad deum accedere, & alios ad deū adducere: sanctificari, & ita sanctificare: manus habere rectas, & sic cadentibus porrigere manum. Si ergo tanta ad hoc munus puritas, ac sanctitas vitæ requiritur (quæ a charitatis virtute diuelli nullo modo potest) cuius erit, vel vtilitatis, vel auctoritatis ea doctrina (quā-

Max. in ser.

tocumq;

tocumq; fulgeat splendore sermonis) quæ ab impuro pectore, & ore procedit? Merito enim aduersus huiusmodi concionatorem inclamat diuus Augustinus. Exaudi teipsum durissime, immanissime, surdissime doctor, quid mihi lingua aurea, & cor ferreum? Delicata doctrina est (inquit Hieronymus) pugnanti ictus dictare de muro: & cum ipse vnguentis delibutus sis, cruentum militem accusare libidinis. ¶Sunt enim multi (vt diuus Gregorius ait) qui spiritualia perscrutantur: sed quæ intelligẽdo penetrant, viuendo cõculcant repente docet, quæ non opere, sed meditatione didicerunt: & quod verbis prædicant, moribus impugnant. Quàm sit autem inutilis huiusmodi doctrina, frequentissime diuus Gregorius varijs in locis declarat. Cuius enim (inquit) vita despicitur, restat, vt eius prædicatio contemnatur. & rursum, Dum persona despicitur, nec recta quæ protulerit placent: cũ tamen aliquando, & inter spinas spica succrescat. & iterum, Vbi conscientiam mordet reatus criminis, linguam ligat timor confusionis. & alibi, Cũ prædicatores ea proferunt, quæ seruare contemnunt, veritas sic linguã mouet, vt feriat vitã: quatenus & ipsi verbis fiãt iudices, & factis accusatores. Quid quòd nonnumquam huiusmodi doctrina auditoribus nocet, dum plus obest exẽplo, quàm prosit verbo? Propter hoc enim diuus

Augu. in Epist.

Hierony.

Grego. in Pastora.

Grego. in Homil.

Idem. in Moral.

Idem. in Pastlo.

Agusti-

Augustinus ait, Doctrina per malos, palmes in sepe, botrus in spinis, caute lege, ne dum quæris fructum, laceres manum: & cum audis bene docentem, imiteris mala facientem.

Videtis ergo patres, obseruandissimi, quam multis nominibus docendi munus (quod maximè vestrum est) charitas iuuet, ac prouehat? Nam innocentia vitæ (quæ ab ea proficiscitur) doctrinam confirmat, ornat, & illustrat. Sic enim Petrus apostolus exigit, vt doctrinam domini Saluatoris moribus ornemus. Et precationis quoque, virtus diuinum numē auditoribus propitiū facit: sine cuius luce & magisterio, otiosum est quidquid ab humano ore proficiscitur. Et materiam quoq;, ac dicendi copiā subministrat: sine qua infirma, inanis, & ieiuna est omnis oratio. ac postremo calorem, affectus, verba, vim dicendi, acrimoniam, aculeos, atq; ignita verborum iacula, immo & fulmina sæpe ministrat. Si enim sola imitatio veritatis ad flectendos auditorū animos, tantū sæpe valuit, quātū ipsa eadē veritas, quāuis imagine & imitatione potentior erit? Si tantum potest arte expressa, & adumbrata natura, quid ipsa per se verum faciet, atq; natura præstabilior? Omnia ergo hæc, ad recte dicendum charitas præstat: quo minus mirandum est, si tantam illi vim ad eloquendum tribuamus. Quod si ita non est, quid ergo est, quod Spiritui sancto (qui

patris

patris & filij communis charitas est) hoc con-
sona ecclesiæ voce tribuitur, quod is locutus
fuerit per prophetas? Cur enim hoc non po-
tius tribuatur filio, qui verbum est & sapien-
tia patris, cum ad sapientiam pertineat doce-
re, & ad verbum eloqui, quod vtrumq; huius
officij proprium est? Verum quamuis hoc ita
sit, vt in quouis alio argumenti genere tractan-
do, scientia pariter & eloquẽtia maximè egea-
mus (a quibus omnis dicendi vis manat) ad
diuina tamen eloquia sublimius, puriusq; tra-
ctanda, magis animi puritate & charitate, quã
aut scientia, aut eloquentia indigemus. Vnde
& idem dominus cum apostolos ad prædican-
dum destinasset, prius eos ardentissimæ chari-
tatis igne purgauit, sanctificauit, & inflamma-
uit: quo æstuantes, non verba summo ingenio
excogitata eloqui, sed ardentes flammas emit-
tere viderentur: quibus vniuersum orbem ad
dei cultum, & amorem accenderent. Quo igne
Hieremiæ prophetę cor, vsq; adeo ęstuabat, vt
illius vim ardoremq; non ferens, in flagrantia
verba, hominum mentes, pietatis & religionis
sensu inflãmantia, erumperet. Idemq; Eliã pro-
pheta sic inflamauerat, vt de eo scriptũsit, Sur-
Ecclci.48 rexit Elias propheta quasi ignis, & sermo eius
vt facula ardebat. Eos autem qui sic ardent, &
verbis suis alios ardere faciunt, ad seraphicum
ordinẽ ptinere diuus Greg. testatur his verbis.
Sunt

Sunt nonnulli, qui supernæ contemplationis amore accensi, in solo conditoris sui desiderio anhelant: nil iam in hoc mundo cupiunt, solo æternitatis amore pascuntur, terrena quæque abijciunt, cuncta temporalia mente transcendunt: amant & ardent, atq; in ipso suo amore requiescunt: amando ardent, loquendo & alios accendunt: & quos verbo tangunt, ardere protinus in dei amore faciunt. Quid ergo istos, nisi Seraphim dixerim, quorum cor in ignem conuersum, lucet & vrit? Quid igitur in huius virtutis laudem magnificentius dici potuit, quàm vt per eam mortalis homo ad tanti ordinis dignitatem, atq; consortium rapiatur? O verè miranda charitas, quæ tam multa potes, tam magna præstas, quæ ministros dei vt flammam ignis ardere facis, fideles perficis, sacerdotes consecras, pontifices ornas, sanctitatis fons, prudentiæ fomes, piæ solicitudinis mater, fortitudinis robur, scientię lumē, misericordiæ parens, iustitiæ ministra, concionandi artifex, dicendi perita, & totius deniq; non modo christianę vitæ, sed etiam pastoralis officij summa, columna, & firmamentum. Merito ergo hanc vnam, iterum dominus a principe pastorum Petro requirit: vtpote qui tot ac tam miris modis sacrum hoc pastoralis officij ministerium, ab ea iuuari intelligebat. Sapientis enim proprium est, neglectis verborū

Grego. in hom.

ambagi-

ambagibus, quam paucissimis rei summam attingere: quod in hac causa cælestis hic magister fecisse videtur, qui hac vna ratione, & orationis breuitati, & causæ perspicuitati, & auditorum vtilitati consuluit: dum in vna penè charitate, latissimi huius negotij summam comprehendit. Hanc ergo studete patres, hanc votis omnibus expetite, hæc in vestro pectore serueat, in verbis luceat, in moribus splendeat, in officio dirigat, & ad omne vos opus bonum informet, & accendat. Atque etiam date operam vt vestra industria, cura, atque consilio, principes (ad quos eligendorum episcoporum cura pertinet) eos eligant, quos magis hac ipsa charitate accensos, virtute præstantes, religioneque excellentes esse intellexerint: ne vos officio vestro, illi verò creditæ sibi curæ deesse videantur. Quod verò ad me attinet, rursus quam initio dicendi veniam petij (quod huius tanti muneris expers, coram tam veteranis ducibus, & de Christi ecclesia tam præclare meritis, verba facere tentauerim) eandem iterum atque iterum posco: opportune admodum eadem illa verba repetens, quibus diuus Gregorius opus illud egregium pastoralis officij clausit. Vsurpaui (inquit) mihi cotis officium, quæ ferrum reddit acutum: cum sit inutilis ad secandum. Pul-

chrum depinxi hominem pictor fœdus: aliosque ad perfectionis litus dirigo, qui adhuc in delictorum fluctibus verson. Dixi.

F I N I S.

Hujus libri hic Romæ imprimendi facta est a superioribus facultas.

Duo errata operis.

Pagina 10. b. linea 12. mundæ, lege mundi.

Pagina 12. b. linea 1. despectus, lege despectis.

